DE
TEMPORIBUS EPISTULARUM TULLIANARUM
QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII M. FEBRUARII A. MDCCCLXXXIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS MOLL

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

RUDOLPHUS KELLER, STUD. HIST.
GEORGIUS WENTZEL, STUD. PHIL.
ULDARICUS WILKEN, STUD. HIST. ET ORIENT.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN

Beuthstr. 8.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS.

CAPUT I.

In Ciceronis epistulas enarrandas quamquam viri docti insignem impenderunt operam[1]), tamen de temporum ordine haud scio an non satis accurate disputatum sit. Age vero afferamus exemplum, e quo perspiciatur nec ab omni parte huic quaestioni satisfactum esse et e ieiuna illa temporum notatione uberrimos fructus percipi posse.

Hirtius narrat (de bello Gallico VIII 50) Servio Sulpicio, legato Caesaris, a. 704 consulatum ereptum esse, Caesaris adversarios, L. Lentulum Crus et C. Claudium Marcellum, consules creatos. Operae autem pretium mihi videtur esse quaerere, alter Caesaris candidatus quis fuerit. Ac praeter *Sulpicium* quis illo anno repulsam tulerit, quamquam nec Hirtius tradit nec alius auctor, e Ciceronis tamen epistulis haud infirmis argumentis colligi potest, M. Calidium illum, quem

---

[1]) Vide Teuffelii hist. litt. Lat.[3] p. 305. 331 sqq. et Huebneri compendium hist. litt. Lat.[4] p. 58. 91 sqq.

Qui ex fontibus ipsis haurire malet, quam rivulos consectari, Manutii potissimum commentarium ac Drumanni historiam, quae commentarii instar est, adibit. De recentioribus imprimis laudandi sunt:

J. C. G. Bootius, M. T. C. epistularum ad T. Pomponium Atticum libri XVI recensuit et adnotatione illustravit. (Amstelodami 1865.)

Fr. Hofmannus, epistulae selectae. (Berol. 1880. 2 vol.)

De temporum ordine disputarunt C. G. Schuetzius in editione epistularum (Hal. 1800. 6 vol.), Gruberus: Quaestio de tempore atque serie Epistolarum Ciceronis. (Sundiae 1836. 4). Bardtius: Quaestiones Tullianae (Berol. 1866. 8); qua dissertatione exponitur, quo temporis spatio litterae delatae sint.

De ordine epistularum anni 703/4 egit Fr. Hofmannus in Philologi volumine quinto decimo p. 662—677 et in libro de origine belli civilis (Berol. 1857. 8).

pro Caesare sententiam dixisse legimus Caes. de bell. civ. I 2 et a. 703 et a. 704 consulatum petivisse. Legimus ad Atticum V 19, 3 *quod scribis, libente te* (M.: *libenter*) *repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuae filii patruo certaret* (sic M.) *magni amoris signum;* ad Att. VI 8, 2 *sed heus tu, numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuae filii?*[1]) *At a quibus victus!*

Atque ut perspicuum est ad Att. V 19 ad comitia anni 703 respici, ad Att. VI 8 ad annum 704, ita omnes uno ore consentiunt, utroque loco eundem Ciceronis aemulum designari; neque enim alio loco Cicero circumlocutione illa *patruo sororis tuae filii* utitur. Omnes [2]) autem inde a Manutio usque ad Bootium interpretes de C. Lucilii Hirri repulsa agi existimant praeter Corradum [3]), qui Catonem intelligi vult.

Quae sententia iure ab omnibus explosa est propterea quod nullo loco memoriae proditur Catoni, quem constat a. 702 [4]) repulsam aequo animo tulisse, etiam a. 703 et a. 704 in consulatus petitione non prospere cessisse. Attamen si Cato, qui antistes Libertatis habebatur, victus esset a. 703 et a. 704, quibus ipsis annis libera res publica in discrimen et certamen vocabatur, huius rei quotiens mentio facta esset!

De Hirro vero M. Caelius ad Ciceronem scribit ad fam. VIII 3, 1 *quomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere et dissimulare, me certiorem quam se candidatum?* VIII 9 Hirrum a se superatum esse narrat.

Nihilo setius facile demonstrari potest de Hirri repulsa Atticum ad Ciceronem non scripsisse.

Nam quoniam M. Caelium a. 703 aedilem curulem creatum esse cum ex inscriptionibus epistularum ad fam. II 8—15 tum ex ipsis epistulis (v. II 11. VIII 4, 9 cet.)

---

[1]) Scilicet Pomponia, soror Attici, erat uxor Quinti Ciceronis.

[2]) Vide commentatores et interpretes ad locos s. s. Drumannum h. R. VI 150[74], Hofmannum Phil. XV 669.

[3]) In quaestura p. 365.

[4]) Plutarchus Cat. c. 49, 50. Cassius Dio 40, 58.

perspicitur, Hirrum, competitorem Caelii, aedilitatem curulem petivisse apertum est.

Attici autem epistulam, ad quam rescribitur ep. V 19, Cicero accepit a. d. XI k. Oct. septimo quadragesimo die quam Romae tabellario data est (19, 1); Attici igitur epistula scripta erat, cum a. d. XI k. Oct. 20 dies mensis Septembris praeterissent, a. d. III non. Sext., quo die 27 dies mensis Sext. reliqui erant; 29 sane dies et Sext. et Sept. tum habebat.

K. quidem Sext. Caelius scribit VIII 4, 3 *ad kalendas Sext. usque exspectavi; praetoriis morae quaedam inciderunt: mea porro comitia quem eventum sint habitura, nescio.*

Eo die nec praetores nec aediles creatos fuisse manifestum est. Atque, ut mittam kalendas Sext. et diem postriduanum non comitiales dies fuisse, post id. Sext. comitia aedilicia a. 703 facta esse possumus evincere.

Ciceronis epistula II 10 rescripta est ad Caelii ep. VIII 5. Conferatur

VIII 5, 1 nam si hoc modo rem moderari possemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo et quantum gloriae triumphoque opus esset, adsequeremur, periculosam et gravem illam dimicationem evitaremus, nihil tam esset optandum: nunc si Parthus movet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem, tuus porro exercitus vix unum saltum tueri potest.	ad fam. *II 10, 2 ut optasti, ita est. Velles enim, ais, tantum modo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis; Parthos times, quia diffidis copiis nostris.*
VIII 5, 2 accedit huc, quod successionem futuram propter Galliarum controversiam non video.	*II 10, 4 quare, mi Rufe, vigila: primum ut mihi succedatur, sin id erit, ut scribis et ut ego arbitror, spissius cet.*

Nemo non intellegit verba fere verbis respondere; Cicero antem declarat ep. VIII 5 ante comitia aedilicia datam esse,

cum scribit II 10: *atqui sic habeto, nullam me epistulam accepisse tuam post comitia ista praeclara.*

Itaque ep. VIII 5 antea quam ep. VIII 9 data est, qua epistula Caelius se aedilem creatum esse narrat.

Ep. VIII 5 postea quam ep. VIII 4 missam esse ex iis, quae de Curionis tribunatu legimus, perspicitur, VIII 4, 2: *in cuius locum C. Curio petit.* VIII 5, 3 *hoc sic praeterito anno Curio tribunus erit.* VIII 4 nimirum res nova nuntiatur, Curionem tribunatum petere, VIII 5 de re nota agitur.

VIII 4 k. Sext. data est v. § 3.

VIII 9 a. d. IV. non Sept. v. § 2.

Iam vero, quoniam manifestum est ep. VIII 5 tempore inter VIII 4 et 9 interpositam esse, accuratius quo tempore ep. VIII 5 scripta sit definiri potest.

Legimus VIII 9, 2 *de provinciis, quod tibi scripseram idibus Sext. actum iri, interpellavit iudicium Marcelli, consulis designati. In k. res reiecta est; ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has litteras a. d. IV non. Septembres dedi, cum ad eam diem ne profligatum quidem quicquam erat.*

Scite de hoc loco Fr. Hofmannus in libro de origine belli civilis pag. 40 nota 5: „Apparet, frequentiam Pompeianos efficere non potuisse id. Sext., non k. Sept., ut Drumannus censet Historia Romana III 380".

Nam quod additur usque ad a. d. IV non. Sept. nihil profligatum esse, supervacaneum esset, si k. Sept. senatus infrequens fuisset. Praeterea iudicium Marcelli non alio modo poterat impedire, quominus de provinciis ageretur, nisi quod effecit, ut multi patres deessent. Denique plusquamperfectum *potuerant* — nam *potuerunt* est coniectura Victorii minime necessaria, — non potest referri nisi ad idus Sextiles.

Inter kalendas autem et idus Sext. de provinciis non relatum esse inde perspicitur, quod Caelius cum respiciat VIII 9, 2 ad ea, quae k. Sext. scripserit *puto idibus Sext. de ea re actum iri* (VIII 4, 4) quasi gloriatur, se recte praedixisse ante idus Sext. de provinciis non actum iri.

Iam VIII 5, 3 haec scripta sunt *Marcellus idem illud de provinciis urget neque adhuc frequentem senatum efficere potuit.*

Quodsi VIII 5 inter k. Sext. et a. d. IV non. Sept. data est, inter k. autem et id. Sext. de provinciis non relatum est, id. vero patres non frequentes convenerunt, patet idem hoc loco narrari quod VIII 9, 2: id. Sext. frequentiam effici non potuisse. Perperam igitur Gruberus p. 11: „VIII 5 ante Idus cf. de Idibus VIII 4 et VIII 9." Immo VIII 5 post idus; cf. de idibus VIII 4 et VIII 9.

Et quoniam vidimus VIII 5 ante comitia aedilicia missam esse, comitia post id. acta esse apparet. Itaque ad Att. V 19 Hirrus non denotatur, quando quidem Atticus a. d III non. Sext. Hirrum repulsum esse scribere non poterat.

Nunc videamus, quis praeter Hirrum cum repulsam a. 703 acceperit tum certaverit cum Cicerone.

Caelius scribit VIII 4, 1 *M. Calidium ab repulsa postulatum a Galliis duobus.* Sic quidem recte de certa Corradi coniectura, in Mediceo enim est *M. Claudium ab repulsa postulatum a Gallis duobus.* At M. Claudius Marcellus erat consul a. 703, qui non poterat hoc anno ab repulsa postulari; alium autem si Caelius significasset, distinguendi gratia, ut recte observat Manutius, vel cognomen vel patris praenomen vel notam aliquam addidisset. Quid? nonne respiciunt ad epistulam superiorem, in qua scriptum est, Calidium in ius vocatum esse, quae legimus VIII 9, 5: *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.* Q. autem Gallius quoniam a Calidio reus factus erat (vide Brut. 277), quid aptius convenit, quam Gallios duos Calidio litem intendisse? Quae cum ita sint iure meritoque editores emendationem Corradi in textum receperunt.

Calidius vero magnum in oratoribus habuit nomen; nam et Quintilianus[1]) multis locis de eo disserit et Hieronymus tradit, M. Calidium se ad Apollodorum Pergamenum[2]) appli-

---

[1]) Quint. Inst. Orat. 10, 1, 23. 11, 3, 155. 12, 10, 11. 12, 10, 39.

[2]) Hier. Chron. ad ann. U. C. 691. De Apollodoro vide Pideritii dissertationem (Marburg 1842. 4).

casse; denique adfuit Calidius Miloni, defendit Scaurum, pro Gabinio dicere voluit[1]).

Videmus igitur magna eloquentiae laude Calidium floruisse. Atque Cicero Calidium dignum habet, de quo pluribus disputet Brut. 274—280, ita tamen, ut non modo aemulationem, verum etiam simultates inter Calidium et Ciceronem intercessisse apertum sit. Ac primum quidem Calidium inter multus prope singularem oratorem nominat (Brut. 274) et magnis ornat laudibus, subdole quidem, nam quod scribit *nullum nisi loco positum et tamquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres,* diligentiam eam apud Lucilium Scaevolam non laudare, sed vituperare legimus in oratore 44, 149.

Deinde Cicero haec aspergit Brut. 276 *sed cum a nobis paulo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret, duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo et animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurumum pollere diximus nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitrareretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit, si opus erat, defuit.*

Tum Cicero narrat, qua ratione irriserit Calidium cum Gallium accusaret; denique hic pannus assuitur § 279 *tum Brutus, atque dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit, an vitium? Quis enim non fateatur cum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxuma inflammare animos audientium et, quocumque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei quod maximum fuerit, defuisse? Sit sane ita, inquam.*

Ex his mihi videtur elucere, simultates Ciceronem cum Calidio suscepisse. Adde quod Cicero tertiae illi, qua animi moventur, laudi multis locis palmam dat. De orat. I 17, 53, 219 III 104, 105. Brut. 89. or. 69, 128.

---

[1]) Ascon in Mil. p. 35, in Scaur. p. 20; C. ad Quintum fratrem III 2, 1.

Atque Ciceronem unum omnium maxime hac laude viguisse et ipse testatur (or. 129) et orationes declarant; quare Ciceroni, si plures unam causam orabant, vel ab Hortensio perorationes dari solebant (or. 139. Brut. 127)[1]. Adversariis autem, velut novis Atticis et Calidio eam ipsam ob causam Cicero furere et bacchari videbatur, quamquam et aliquantum de iuvenili ardore remiserat et ipse fatetur, oratorem, qui nihil tranquille tractare possit, *furere et bacchari* (or. 99).

Quae cum ita sint, ut redeamus ad epistulas, non dubium mihi videtur, quin ad Att. V 19 de Calidii repulsa agatur. Quod Mediceus habet: *certaret*, qui Hirrum intellegi volebant, *certarant* vel *certassent* ponebant, nos vero possumus traditam lectionem tueri, quoniam Calidius cotidie in foro cum Cicerone contendebat.

Erunt tamen qni contendant M. Calidium non infensum Ciceroni fuisse. Legimus quidem in oratione post reditum in senatu habita, quo loco Cicero quanta erga se praetorum fuerit benevolentia ostendit, 9, 22 *M. autem Calidius statim designatus sententia sua, quam esset cara sibi mea salus, declaravit.* Conferatur ad Quintum fr. I 3, 7. II 9, 2.

At tantum abest, ut hac argumentatione nostra sententia convellatur, ut maxime fulciatur. Nam Cicero scribit ad Att. V 19, 3 *itaque me etiam admonuisti, ut gauderem; nam mihi in mentem non venerat. Non credo, inquis. Ut libet; sed plane gaudeo, quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φϑονεῖν.* Tacitum igitur quoddam gaudium Cicero prodit, quod non acerbi odii est, sed illis simultatibus aptum, quas Ciceronem cum Calidio exercuisse supra ex ipsius testimoniis conclusimus.

Ad verba Graeca explicanda affertur locus, qui est in Aristotelis rhetoricis II 9 *᾿Αντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν μάλιστα μὲν, ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν τὸ λυπεῖσϑαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις*

---

[1]) Conferatur Halmii adnotatio in commentario latine scripto ad Sestianam p. 85.

εὐπραγίαις. Λύπη γὰρ ταραχώδης καὶ ὁ φθόνος ἐστὶ, καὶ εἰς εὐπραγίαν, ἀλλ' οὐ τοῦ ἀναξίου.

Indignum igitur Cicero Calidium consulatu esse putat, ni fallor, propterea quod Calidius Caesaris rebus favebat.

Satis mihi videor demonstrasse ad Att. V 19 omnia praeclare convenire in Calidium; omnium autem ad unum sententiae congruunt eundem quem ad Att. V 19 significari ad Att. VI 8. Quod legimus *qui se solet anteferre patruo sororis tuae filii,* quam belle quadret in Calidium, nonne ex ipsis, quae modo exposita sunt de Calidii genere dicendi elucet? Furere enim et bacchari Cicero Calidio videbatur. Quare qui sibi persuaserit ad Att. V 18 non Hirrum, sed Calidium denotari facile concedet ad Att. VI 8 de Calidii repulsa agi. Adde quod Cicero cum Hirro tum in gratiam redire studebat (ad Att. VII 1, 8).

Calidium autem praetorium fuisse, e l. s. s. orationis post reditum in senatu habitae intellegitur; quam ob rem quoniam epistula ad Att. VI 8 ad conitia a. 704 spectat, perspicuum est a. 704 non modo Sulpicio, legato Caesaris, verum etiam Calidio a Caesaris adversariis consulatum ereptum esse. Sulpicii sane repulsi ignominia quoniam in ipsum Caesarem redundare videbatur, ab Hirtio diserte commemoratur.

Quod Cicero addit ad Att. VI 8 *at a quibus victus,* videmus quid sine fuco ac fallaciis de consulibus a. 705 iudicaverit. Ab hominibus stultis videlicet Calidium victum esse significat. Neque refragantur huic iudicio quae aliis locis de L. Lentulo Crure et de C. Claudio Marcello legimus. L. quidem Lentulus quamquam haudquaquam inimicus Ciceronis erat, nam et praetor pro Cicerone L. Pisonem deprecatus est (v. in Pis. 77) et consul promisit se de Ciceronis triumpho relaturum esse (ad fam. XVI 11, 3), tamen non laudatur a Cicerone nisi tempus postulat, velut de har. resp. 37, quo loco gravis ac disertus, cum Clodium accusaret, orator nominatur, et Philipp. XIII 29 *duo consules amicissimi patriae simul ex Italia eiecti.* At vide Brut. 268 *L. autem Lentulus satis erat fortis*

orator, si modo orator, sed cogitandi non ferebat laborem. Lentulum quidem Cicero docet hominem plumbei ingenii fuisse. Lentulum repulsum irridet Caelius ad fam VIII 4. Ad Att. VII 20, 1 legimus *cave putes quicquam minoris esse his consulibus;* ibidem Cicero eos imparatos et inanes vocat. Lentulus vero Ciceronem timidum esse dixerat, v. ad fam. VI 21, 1. Praeterea Lentulus commemoratur Philipp II 51. ad Att. VI 8, 2. VII 21, 1. 2. VIII 9, 4. 11, 5. cf. 15 A2 IX 6, 1. 7B2. X 1, 6, 6. XV 3, 1. ad fam XII 14, 3.

Atque C. Claudius Marcellus non tam virtute et ingenio quam nobilitate et fratris, cos a. 703, auctoritate auctus videtur esse. Neque enim eximia laude ornatur in oratione pro M. Marcello habita X 34, neque in epistulis, quae pertinent ad restitutionem Marcelli (ad fam IV 4, 3. 7, 6. 8, 4. 11, 1) nec denique quibus aliis locis Marcelli mentio fit: ad Att. XV 12, 2. 13, 3. XVI 14, 2. 15, 6 vel cum Lentulo: Philipp. II 51. XIII 29 ad fam. VII 3, 1 ad Att. VII 20, 1. 21, 1 XV 3, 1.

Supra vidimus Ciceronem a. d. XI k. Oct. Attci litteris a. d. III non Sext. datis de comitiis aediliciis post id. habitis non factum esse certiorem; et quoniam Attici litteras celeriter delatas esse fatetur, quae post id. Sext. Romae acta essent a. d. XI k. Oct. compertum non habuit. Itaque epistula ad Caelium II 9 qua Cicero Caelio, quod aedilis factus sit, gratulatur post. a. d. XI k. Oct. data est; at antequam Cicero a. d. III id. Oct imperator appellatus est; neque enim in inscriptione epistulae imperatoris appellatio additur et epistula proxima, quae res in Amano gestae sint, narratur (II 10, cf. ad Att. V 20, 3). Atque haud scio an epistula ad Caelium II 9 eodem die quo epistula ad Appium III 8 data sit, id est a. d. VIII id. Oct. (v. III 8, 10). Qua epistula cum Cicero Appio gratias agat, quod se de rebus urbanis certiorem fecerit (§ 9), iam quae post a. d. III non Sext. Romae acta essent, ex Appii litteris videtur cognovisse. Praeterea confer ad App. III 8, 10 *neque domum umquam ad me litteras mittam, quin adiungam*

eas, quas tibi reddi velim. Ad Cael. II 10, 1 *equidem numquam domum misi unam epistulam, quin esset ad te altera.*

Itaque et ep. II 9 et ep. III 8 Cicero una cum litteris ad suos datis videtur misisse. Si non certum, at probabile tamen est, ep. ad fam. II 9 et III 8 simul missas esse.

Ex Appii litteris, dixerit quis, Cicero a. d. VIII id. Oct. nihil novi accepit, nam Appii tabellarius a. d. XI k. Oct. Ciceroni Attici litteras reddiderat. At quod Appii nomen per editiones fertur ad Att. V 19, 1 *cum subito* Appii *tabellarius a. d. XI k. Octobris septimo quadragesimo die Roma celeriter — hui tam longe — mihi tuas litteras reddidit, Appii* ponitur de Victorii coniectura. Mediceus habet *appelli*, editio Cratandri *appellit.*

Binas tantum ex itinere litteras Appium ad Ciceronem misisse legimus ad App. III 9, 1; alteras Cicero post brumam accepit, (ad App. III 7, 3) ad alteras a. d. VIII id. Oct. rescribit (III 8).

Nec tamen credibile est Ciceronem litteras, ad quas a. d. VIII id. Oct. respondet, a. d. XI k. Oct. accepisse. Plus sane otii habuisset Cybistris ad litteras exarandas, quam a. d. VIII id. Oct. cum ad Amanum contenderet. Deinde e primis verbis ep. III 8 verisimile fit Ciceronem statim rescripsisse: *etsi, quantum ex tuis litteris intellegere potui, videbam te hanc epistulam, cum ad urbem esses, esse lecturum.*

Ab Appio igitur Cicero a. d. XI k. Oct. nullas litteras videtur accepisse. Appius autem, qui castra apud Iconium praetergressus erat (III 7, 4), obvius erat tabellario in Cappadociam proficiscenti. Quare tabellarium Appii nullas Appii litteras a. d. XI k. Oct. attulisse veri simile non est. Praeterea Atticus imprudenter a. d. III non. Sext. Appii tabellario litteras ad Ciceronem dedisset; nam suspicari non poterat, id quod accidit, Appium iusto diutius in provincia mansurum esse (v. ad fam. III 6, 3. ad Att. V 16, 4. 17, 6). Quae cum ita sint, tantum abest, ut coniectura illa Victorii ab omnibus recepta certa habenda sit, ut ratione et temporum et spatiorum habita ne probabilis quidem videatur.

Erat Apella M. Fadii Galli libertus ille quidem, sed tamen homo non parvae auctoritatis. V. ad Gallum VII 25 *secreto hoc audi, tecum habeto, ne Apellae quidem, liberto tuo, dixeris.* M. autem Fadius cum antea apud Cassium in Syria videtur fuisse (ad fam. XV 14), tum a. 704 ad Ciceronem Laodiceam venit (ad fam. IX 25, 3). Fieri igitur potest, ut Apellae tabellarius Ciceroni Attici litteras reddiderit; quae quidem emendatio, si non certa at ut lenior [1]) ita aptior videtur esse, neque enim nos conicit in difficultates chronologicas.

CAPUT II.

§. 1.

Haec praefati, quo facilius perspiceretur operae pretium esse de temporum ordine haudquaquam satis explicato disserere, quoniam uberrimam materiam subministrant huius anni 703/4 epistulae, de hoc potissimum anno, si placet, disputemus.

Nihil fere attulerunt ad hanc quaestionem qui de Ciceronis proconsulatu Ciliciensi scripserunt, *J. C. E. Oppenrieder* (de Cicerone proconsule Ciliciae. Augustae Vindelicorum 1853. 4.), *C. Hartung* (de proconsulatu Ciceronis Ciliciensi Wirceburgi 1868. 8.), *G. d Hugues (une province Romaine.* Parisiis 1876. 8.)

Nam *Oppenriederus* quamquam venuste res narrat multis allatis poetarum locis, *Hartungius* quamquam scite agit de rebus ad ius publicum pertinentibus, velut de edicto Ciceronis (p. 34—41), *D'Hugues* denique quamquam 496 paginis multa

[1]) Etiam ad fam. VII 25 et ad Att. XII 19, 1 M. habet *appellae* dupliciter posita *p* littera.

dicit de provincia et de moribus Ciceronis, quaestiones illi chronologicas ne attigerunt quidem, etiamsi latiore sensu hoc verbum accipimus. Neque enim quaerunt, quo tempore litterae datae sint, neque, qua ratione Cicero iter istituerit, neque considerant, utrum res ordine an alio loco alio modo narrentur, nec quae cetera sunt eiusdem generis.

Anno 701 et 702 senatus consulta facta sunt, ne praetores consulesve ante quinquennium ab magistratu exacto provincias administrarent [1]). Legem autem de provinciis a. 703 factam esse ex epistula ad M. Marcellum, cos a. 703, perspicitur XV 9, 2 *ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et senatus consulto et lege finisti* [2]). Cum praetorii et consulares, qui provincias nondum obtinuerant, inter se sortirentur [3]), Ciceroni obvenit Cilicia. Pridie non. Junias Cicero Brundisii ab Appio Claudio, qui tum Ciliciae praeerat, litteras accepit (ad fam. III 4, 1); quas litteras ab Appio datas fuisse cum comperisset Ciceronem sibi successurum esse ex his verbis apparet III 4, 2 *quod scribis tibi manendi causam eam fuisse, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, est gratum.* Itaque sortitio non potest facta esse post mensem Martium.

Nam Cicero cum in Cilicia erat ad Atticum scripsit VI 5, 1 *quare velim, etsi, ut spero, te haec legente ne aliquantum iam viae processero,* § 3 *dies enim* XXXIII *erant reliqui.* Testatur igitur tabellarium amplius 33 dies in itinere futurum esse. Praeterea Cicero ad Att. V 19, 1 fatetur celeriter litteras Roma in Cappadociam 47 diebus delatas esse [4]).

Neque ullum potest inveniri exemplum breviore tempore, quam 47 diebus, tabellarium in Ciceronis provinciam pervenisse.

---

[1]) C. Dio 40, 46. 40, 56.

[2]) Cf. Drum. III 364. Mommsenus de publico Romanorum iure II 231[3]. Hartungius l. s. s. p. 17.

[3]) Hartungius 20—24. Mommsenus l. c. II 239[1].

[4]) Bardt quaestiones Tullianae p. 24.

Quare si Cicero prid. non Jun. in Italia litteras ab Appio datas post nuntium de sortitione allatum accepit, fieri nullo modo potest, ut sortitio post mensem Martium facta sit; quin etiam veri similius est sortes vel ineunte mense Martio vel ante coniectas esse.

Ad Appium Claudium, quocum Ciceroni vel antea litterarum commercium fuerat (II 1), prima hoc anno epistula Roma data est III 2. Legimus enim III 3, 1 *nunc, quod a te petii litteris iis, quas Romae tabellariis tuis dedi, velim tibi curae sit, ut quae successori coniunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit, ut ea pro nostra consociatissima voluntate cura ac diligentia tua complectare.*

Quoniam ep. III 2 nihil aliud agitur nisi ut Appius prospiciat et consulat rationibus Ciceronis, non alia epistula libri tertii significatur. At inscribitur epistula III, 2: M. Cicero PROCOS. Imperatorum quidem aetate cum Dio, tum multi tituli testantur, proconsulis nomen non inditum esse nisi egresso pomerium [1]). Omnino vero *pro* praepositio, non satis urbana, ut ita dicam, Romanis videbatur esse, abhorruit enim ab eorum sensu magistratibus urbanis appellationem cum *pro* praepositione coniunctam imponere. Ni fallor ep. III 2 in suburbano data est, ita et probe appellationem illam Cicero ascivit, quippe cum pomerium transgressus esset, et quodam modo scribere poterat, epistulam Romae tabellariis Appii datam esse.

Quo vero tempore epistula scripta sit non accuratius possumus definire nisi quod constat ep. III 2 ineunte anno 703 missam esse.

Deinde Cicero ab urbe profectus cum tantus consensus senatus fuisset, mature ut proficisceretur, parendum ut esset, iter tarde fecit (ad fam III 3, 1).

In Tusculano quidem aliquantum temporis videtur commoratus esse; aderat enim Philotimus, quocum de rebus rationibusque agebat (ad Att. VIII 3, 7); aderat Atticus, quocum

---

[1]) C. Dio 53, 17. Momms. l. c. II 753[4]. I 14.

de Pomponia et de rebus domesticis loquebatur (ad Att. V 1). Illud quoque recte videtur Wielandius (III 294) coniecisse, quae Cicero de aqua scribat ad Att. V 12, 13, ad Crabram per Tusculanum agrum ducendam pertinere (cf. ad fam. XVI 18, 3).

A Tusculano Cicero in Arpinas contendit, inde per Aquinum Minturnas perrexit (ad Att. V 1). Quae itineris ratio qualis sit cognoscitur ex ep. ad Att. XVI 10 *statueram enim recta Appia Romam. Facile me ille esset adsecutus, aiunt enim eum Caesarina uti celeritate. Verti igitur me a Minturnis Arpinum versus constitueram, ut V idus aut Aquini manerem aut in Arcano.*

Ep. ad Att. V 1 Minturnis data est. Nam quod Atticus ad litteras Minturnenses rescribit (V 3, 2), in clausula epistulae primae legimus *A. Torquatum amantissime dimisi Minturnis.* Quare, quoniam epistula prima omnia, quae post discessum facta sunt, continet, non alia antea, sed haec ipsa epistula Minturnis mihi videtur data esse, exeunte scilicet mense Aprili vel ineunte mense Maio; Atticus enim respondet a. d. VIII id. Mai. Vide V 3, 1 *A. d. VI idus Maias veni in Trebulanum ad Pontium: ibi mihi tuae litterae binae redditae sunt tertio abs te die,* § 2 *quarum alterae edictum P Licinii habebant — erant autem nonis Maiis datae — alterae rescriptae ad meas Minturnenses.* Quid additur, alteras litteras Nonis Maiis datas, nisi quod ad Minturnenses alio die rescriptum est? quid additur, nonis litteras datas, cum supra temporis nota sit *tertio die abs VI id. Mai.*, nisi quod nonae non est dies tertius abs VI id. Mai., qui si non nonae, sine dubio est dies VIII id. Mai. Itaque cum una epistula nonis, altera postridie scripta sit, utraque a. d. VIII id. Mai. tabellario videtur data esse.

Minturnis Cic. in Cumanum profectus est (v. ad Att V 2).

A. d. VI id. Mai. e Pompeiano proficiscens dedit ad Att. V 2 v. § 1.

A. d. V id. Mai. a Pontio e Trebulano V 3. v. clausulam.

A. d. V id. Mai. Beneventum venit; paullo post ad Att. V 4 data est. idibus Maiis mane Venusia V 5. v. § 1.

Iam vero, ut recte de epistulis, quae sequuntur, iudicemus, videamus necesse est, qua ratione Cicero, quot quo loco commoratus sit dies, numeret.

Excluditur et adventus dies et discessus ad fam. III 5, 5 *triduum illud quod ego Ephesi commoratus sum.* Venit enim Cicero Ephesum a. d. XI k. Sext. (ad Att. V 13); profectus autem est a. d. VII k. Sext., nam scribit ad Att. V 14 *dederam Epheso pridie, has dedi Trallibus,* ad Appium III 5, 1 *Trallis veni a. d. VI k. Sext.*

Excluditur dies adventus ad Att. VIII 11, B 2 *veni Capuam ad nonas Februarias; cum fuissem triduum, recepi me Formias.* Confer ad Att. VII 21, 1 *veni Capuam ad nonas Febr. — alter consul omnino non venerat VII idus; eo enim die ego Capua discessi*; ad Att. VII 20, 1 *Capuam veni pridie nonas.* Sine dubio Cicero quod pridie nonas occasu solis Capuam venit, aliis locis se *ad nonas* Februarias venisse narrat.

Hoc quoque loco dies adventus exclusus videtur esse ad fam. XVI 9 *septimum iam diem Corcyrae tenebamur — XV. k. Corcyra.* Confer XVI 9, 1 *inde a. d. V id. Corcyram bellissime navigavimus.*

Includitur et adventus dies et discessus ad fam. XIV 4, 2 *nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum dies XIII fuimus.* Dederat enim Cicero a. d. XIV k. Mai. de Tarentino litteras ad Atticum (III 6), Brundisii autem navem conscendit prid. k. Mai. (ad Att. III 7, 3 ad fam. XIV 4, 6).

Quid? quanta Cicero utatur licentia, inde apparet, quod ad fam. XV 2, 3 scribit se triduum Cybistris fuisse, quinque autem dies et ad fam. XV 4, 6 et ad Att. V 20, 2.

Quae cum ita sint, certa non potest constitui lex, sed quoniam Cicero, ut in ceteris rebus, ita in diebus computandis sibi non constat, de singulis nobis locis quaerendum est.

Legimus ad Att. V 5, 2 *nos Tarenti, quos cum Pompeio διαλόγους de republica habuerimus, ad te perscribemus.*

V 6 *Tarentum veni a. d. XV k. Junias.*

V 7 *ego cum triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium a. d. XIII k. Junias.*

Ad fam. III 3, 1 *A. d. XI k. Junius Brundisium cum venissem.*

Aut ad Att. V 6 *XV* aut ad Att. V 7 *XIV* corruptum est. At cum absit Brundisium a Tarento 44 m. p.[1]), iusto lentius Cicero iter fecisset, si plus quadriduum in itinere consumpsisset; quapropter de numero XIV potius aliquid detrahendum, quam ad numerum XV addendum videtur. Scribere voluit Corradus XI, Malaspina XII, Manutius XIII k.

Manutii sane emendatio praeterquam quod medela lenissima est, longe ceteris praeferenda ideo quod initio ep. 7 haec legimus: *cotidie vel potius in dies singulos breviores litteras at te mitto.* Quem locum recte mihi videtur Handius in Tursellino III 342 ita enarrasse: „Non modo breves sunt et breviores quam olim epistulae, sed cum uno quoque die breviores." Pridie igitur Cicero ad Atticum litteras dederat. At epistulam sextam non missam esse cum Cicero plus biduum apud Pompeium fuisset, id est post a. d. XIV k. Jun., inde apparet, quod Cicero et in epistula sexta tempore futuro utitur *accipiam, instruar* et de praefectis quid Pompeius dixerit non in ep. sexta, sed in ep. septima narrat. Quae cum ita sint, mihi persuasum est ep. ad Att. V 6 a. d. XIV k.; V 7 a. d. XIII k. datam esse.

Ad XI k. Jun. Cicero Brundisium venit; eo die paullove post data est ad fam. III 3.

Ad Att. V 18, 1 Cicero se duodecimum diem Brundisii teneri scribit; quare quoniam Brundisium Ciceronem venisse a. d. XI k. Jun. legimus ad fam. III 3, alii ep. ad Att. V 18 a. d. III non. Jun. scriptam esse censent (Gruberus, Baiterus), alii adnumerato adventus die a. d. IV non. (Wesenbergius); utris autem assentiendum sit, diiudicari non posse ex iis, quae supra de numerandis diebus exposuimus, mihi videtur apparere.

Ad fam. III 4 pridie non. Jun. paullove post. v. § 1.

Navem cum Cicero solvisset, Actium venit a. d. XVII k. Quinctiles; ad Att. V 19 eo die paullove post data est.

[1]) V. itinerarium Antonini Augusti ed. Parthey et Pinder p. 54 (119[1]).

Athenis Cicero se decem ipsos dies fuisse prid. non. Quinct. et ad Atticum V 11, 4 scribit et ad Caelium II 8, 3; corruptum igitur numerum Mediceus habet ad Att. V 10, 1 *ut Athenas a. d. XV k. Quinctilis veneram.*

Epistula ad Att. V 10, qua scribitur *exspectabam ibi iam quartum diem Pomptinum,* quoniam neque liquet, utrum Cicero VII k. Quinct. an VI k. Athenas venerit an V k., neque utrum l. s. s. adventus dies comprehensus sit necne: illa epistula utrum IV k. Quinct. an III k. an pridie k. data sit, an ipsis kalendis, perspici non potest. Quod Manutius V 10, 1 VII k. posuit, Wesenbergius VI k., VII k, quem numerum in codicibus suis se invenisse Sim. Bosius simulavit, minimam probabilitatem mihi videtur habere, quoniam e depravato VI vel e duplicato V, quem numerum a nullo propositum video, facilius XV oriri poterat; sed tamen pro certo statui non posse, quinam de tribus istis numeris germanam lectionem praebeat, ex iis colligi potest, quae modo de numerandi ratione ac de Ciceronis inconstantia disseruimus.

ad Att. V 11 } pridie nonas Quinctiles v. § 4
ad fam. II 8 } pridie nonas Quinctiles v. § 9

ad Att. V 12 a. d. V id. Quinct. paullove post. Nam quod legimus § 1 *sexto die Delum Athenis venimus,* vix dubitari potest, quin in sexto die inclusus sit et dies quo Cicero Athenis discesserit et dies quo Delum venerit. Confer *pridie nonas ad Zostera, a. d. VIII idus ad Ceo iucunde, inde Gyarum,* scilicet a. d. VII id., quo die Cicero et ad Hortensium et ad Atticum de Messalla litteras quae non exstant misit. § 2 *hinc Syrum* scil. a. d. VI id. (M.: schyrum), *inde Delum, utroque citius, quam vellemus* scil. a. d. V id.

A. d. XI k. Sext. Cicero Ephesum venit 560° die post pugnam Bovillanam, de qua pugna infra ad ep. ad Att. VI 1 disputabimus. Totidem igitur fere diebus Athenis Ephesum iter fecit, quot in reditu Epheso Athenas, cum k. Oct. Epheso profectus (ad Att. VI 8) Athenas pridie id. Oct. venerit (ad Att. VI 9); quotve Q. Cicero, qui cum ex Asia decessisset ante k. Maias Athenas id. Mai. venit (ad Att. III 9).

Ac ne miremur Ciceronem, cum properaret in provinciam, Ephesi triduum mansisse, multa ei Ephesi agenda fuisse ex his locis perspicitur: ad Att V 13, 12 ad fam XIII 56, 65. Praeterea legimus in prooemio ad Timaeum cap. 1 et Nigidium Figulum Ciceroni tum Ephesi praesto fuisse et Cratippum Mytilenis Ephesum venisse.

Jam hoc loco possumus observare, Ciceronem in rebus narrandis non satis accurate temporum ordinem servare, cum tribus locis Ephesi Salaminiorum legatos fuisse exponat:

ad Att. VI 2,9 *nam ad me Ephesum usque venerunt flentesque equitum scelera et miserias suas detulerunt, itaque statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent.* Ex hoc loco nihil potest concludi nisi statim, id est Epheso, a Cicerone literas datas esse. At legimus ad Att. VI 1, 6 *itaque ego, quo die tetigi provinciam, cum mihi Cyprii legati Ephesum usque obviam venissent, litteras misi, ut equites ex insula statim decederent.* Provinciam sane Cicero non Ephesi, sed Laodiceae tetigit pridie k. Sext. (v. ad Att. V 15 cet.); eo igitur die litterae de equitibus removendis videntur obsignatae esse.

Prorsus tertio loco Cicero temporum ordinem conturbat ac confundit ad Att. V 21, 10; docet enim Scaptium ad se in castra venisse atque inde, cum gratias egisset, discessisse. Tum addit: *Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio.... Ego equites ex Cypro decedere iussi: moleste tulit Scaptius.* Ex hac narratione minime efficeretur Ciceronem, cum provinciam ingrederetur, litteras illas dedisse.

A. d. VII k. Sext. Ciceronem Epheso discessisse supra demonstravimus; confer ad Att. V 14, 1 *dederam Epheso pridie, has dedi Trallibus*; ad fam. III 5, 1 *Tralles veni a. d. VI k. Sext.* V 13 igitur a. d. VII k. Sext. data est, ante lucem videlicet; scriptum enim est 13, 1 *praesertim cum cenanti mihi nuntiarit (M. nuntiaret) Cestius se de nocte proficisci.* De nocte autem significare nocte nondum exhausta ex his potissimum locis intellegitur. Suetonius Vesp. c. 21 *in principatu maturius semper ac* de nocte *evigilabat.* Frontinus Strateg. IV 3, 7 *Hannibal*

surgere de nocte *solebat, ante noctem non requiescebat.* Cf. ad Att. IV 8 VIII 6 IX 2 pro Murena 33, 69.

A. d. VI k. Sext. Cicero Tralles venit ad fam. III 5, 1.

Ad Att. V 14 a. d. VI k Sext. Trallibus, pridie enim Epheso epistulam dederat. Ad fam. III 5 fortasse paullo post missa est; nam quod Mediceus habet III 5, 4 *propter Kalendas Sextiles puto me Laodiceae fore* Orellius *propter*, quoniam *propter Kalendas Sextiles* abhorret a sermone Tulliano, e male intellecto compendio *pr.*, id est *pridie*, ortum esse censet; quam coniecturam merito editores in textum receperunt.

At a. d. VI k. Sext Cicero ad Atticum scripsit V 14, 1 *in provincia mea fore me putabam k. Sextilibus.* Quodsi Cicero Appium docet se pridie k. Sextiles Laodiceae fore, propius videtur ad provinciam accessisse.

§ 2.

Pridie k. Sextiles Cicero Laodiceam venit (ad Att. 15, 1. 16, 2 cet.); hoc die provinciam ingressus est atque ex hoc die Atticum clavum anni movere iubet (15, 1); erat enim haec pars Phrygiae Ciceronis provinciae attributa (ad fam. XIII 67)[1].

Iam incidimus in difficilem nodum; nam, quibus locis Cicero, quot dies in provinciae oppidis fuerit, narrat, usque eo numeri discrepant, ut in concentum redigi non possint. Hofmannus quidem, si fas est id dicere, in Scyllam, cum vellet vitare Charybdim, videtur incidisse; prorsus enim in diebus disponendis lapsus est, quippe cum vir doctus fastis anni postcaesariani usus sit.

Legimus ad Att. V 20, 1 *Laodiceam pridie k. Sextiles venimus. Ibi morati biduum:* scilicet pridie k. et kalendis. *Apameae quinque dies:* scil. ab a. d. IV non. Sext. ad a. d. VIII

[1]) Haud paenitet conferre orationem pro Flacco cum epistulis hoc anno datis; Flaccum enim cum Cicero defenderet, hoc imprimis nitebatur argumento, Phrygem plagis meliorem fieri, epistulis autem ad Atticum cum Appio invidiam vellet conflare et odium, quanta misericordia, quanta ira Cicero videtur esse commotus!

id. Sext. *Synnadis triduum:* scil. ab a. d. VII id ad a. d. V id. *Philomelii quinque dies:* scil. ab a. d. IV id Sext. ad. a. d. XVII k. Sept. *Iconii decem:* scil. ab a. d. XVI k. Sept. ad a. d. VII k. Sept. *Inde in castra veni a. d. VII kalendas Septembres* (cf. ad fam. XV 4, 3). Quodsi tenemus mensem Sextilem tum 29 dies habuisse, dubitari non potest, quin hoc loco et dies primus, *pridie k. Sext.* inclusus sit et dies ultimus *a. d. VII k. Sept.*

At ad Att. V 16, 2 sic est *in ... provinciam nos venisse scito pridie k. Sextiles, moratos triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade.* Sunt igitur dies Laodicenses non prid. k., kalendae, sed vel pridie k., kalendae, a. d. IV non. vel kalendae, a. d. IV non., a. d. III non.

Abest autem Laodicea ab Apamea in tabula Peutingeriana 72 m. p., quod iter uno die Ciceronem confecisse cum vix crediderim, mirum hercle mihi videtur, diem a. d. IV non. Sext. in ep. V 20 ad Apameenses dies adici; nam Cicero secundum epistulam V 16 non antea quam, a. d. IV non. Laodicea profectus non prius quam a. d. III Sext. Apameam videtur venisse.

Quid? quod ex epistula V 15 apparet Ciceronem a. d. III non. Sext. nondum Apameae fuisse; legimus enim V 15 *iter Laodicea faciebam a. d. III non. Sext., cum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam.*

Quare, ut Cicero ad Att. V 20 omnes, quos in itinere consumpserit dies, enumeret, ad Att. V 16, quot in conventu quoque dies fuerit, tamen V 20 dies a. d. IV non. Sext. ad Laodicenses dies adnumerandus erat.

Denique in epistula ad Catonem Cicero scribit XV 4, 2 *cum in provinciam pr. k. Sext. venissem et propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eundum viderem, biduum Laodiceae fui, deinde Apameae quadriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomelii; quibus in oppidis cum magni conventus fuissent, multas civitates acerbissimis tributis et gravissimis usuris et falso aere alieno liberavi.* Hac epistula, quae quasi ad ipsum senatum data est, Cicero non tam itineris sui rationem

explicare, quam conventus quot dies egerit, nuntiare videretur, si hac epistula se triduum Apameae fuisse scriberet, ad Att. V 16 quadriduum; neque enim plures, quam quot in oppido erat, dies conventus agere poterat.

Quid igitur? Fateri debeo mihi sescenties versanti hos locos non contigisse nodum expedire; neque enim numeri inter se conciliari possunt, neque diiudicaverim, utrum Cicero memoriola vacillaverit an numeri a librariis corrupti sint.

De epistulis in hoc itinere datae sunt ad Att. V 15, 16, 17. V 15 a. d. III non. Sext. v. §. 3 in itinere a Laodicea ad Apameam. Cum et in epistula V 16, 4 et in ep. V 17, 1 Cicero se biduum a castris abesse scribat, eae litterae eodem die videntur datae esse; litteras autem superiores esse V 17 inde perspicitur quod non modo § 1 Cicero scribit *paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras* sed § 2 Cicero cum instituerit de abstinentia sua agere, subito se revocat his verbis *sed nunc propero: perscribam at te paucis diebus omnia.*

Quoniam igitur de continentia sua et de administratione provinciae pluribus Cicero disserit epistula sexta decima, haec epistula non potest ante epistulam septimam decimam missa esse. Non longior quidem est epistula sexta decima; in ipso enim itinere tabellarii discedebant ac summatim Ciceroni omnia perscribenda erant, sed, cum in epistula septima decima de rebus domesticis agatur, epistula sexta decima nihil fere nisi de provincia et temperantia Ciceronis habet. Quare plane assentiendum est Hofmanno, qui negat epistulam sextam decimam ante epistulam septimam decimam scriptam esse.

In epistula sexta dec. narratur, quot dies Cicero Laodiceae, Apameae, Synnadis fuerit; perspicuum igitur est hanc epistulam ante datam esse quam Cicero Philomelium venerit. Neque vero certis argumentis Hofmannus l. s. s. evicit, non posse utramque epistulam eodem die datam esse; nam quod scribit vix ad unam epistulam enarrandam illo die Ciceroni satis otii fuisse, Cicero ipse in epistula posteriore fatetur surripiendum sibi aliquid spatii fuisse (16, 1). Ac vellem accuratius exposuisset Hofmannus, quod ipsis epistularum argumentis suam

sententiam confirmari putat. Quid enim novi continet epistula septima dec. nisi equites concisos esse, Bibulum in provinciam non accedere? quae Cicero vel eodem die a tabellariis publicanorum accepit vel cum scriberet ep. septimam dec. in epistulam inferiorem reiecit. Sed quod Hofmanno placuit epistulam septimam dec. Ciceronem, cum ad Synnada accederet, dedisse, ep. sextam dec. tertio die post cum Synnadis discederet, itaque in utraque epistula recte se biduum a castris abesse C. scribere potuisse: non biduum Cicero Synnadis aberat a castris, quae ad Iconium in Lycaonia fuisse legimus ad Att. V 15. 20, 2 ad fam. XV 4, 2.

Abest enim in tabula Peutingeriana Philomelium a Synnadis 67 m. p., a Philomelio Iconium 126 m. p.:

a Philomelio	Laodicea combusta	28 m.
inde	Caballucome	23 m.
inde	Sabatra	32 m.
inde	Pyrgos	23 m.
inde	Iconium	20 m.
		Fiunt 126 m. p.

Erunt tamen qui contendant hinc paullulum spatii circumcidi posse et amputari; nam ambitu iter flecti a Philomelio ad Iconium, qui tabulam geographicam inspexerit, facile intellegere; praeterea Xenophontem docere (Anabasis I 2, 19) Tyriaeon, quod oppidum inter Laodiceam combustam et Philomelium situm esse Strabo tradit XII 2, 29, abesse ab Iconio 20 parasangas (id est ad 70 m. p.), Thymbrion autem 30 parasangos, 100 circiter m. p. Quanta quidem fides Xenophonti intervalla significanti habenda sit, diligenter exposuit Hamilton in libro quem inscripsit *Researches in Asia minor* II 197 sqq.

Atque constat inter omnes Thymbrion non multum afuisse a Philomelio. Philomelium quidem, ubi nunc sit Ak. Chek situm esse Kiepertius suspicatur, Hamiltonius autem l. s. s. II 202 locat Thymbrion *at the foot of Sultan Dagh between the fountain of Midas and Ak. Sheher,* atque addit *if indead it be not an older name for Philomelium itself.* Itaque ne apud Xenophontem quidem Philomelium ab Iconio multo minus

100 m. p. abest. Quare quoniam plus 50 m. p. uno die Ciceronem confecisse credibile non est, cum iter ad Synnada faceret, plus biduum a castris aberat; quamobrem et epistula ad Att. V 17 et ep. V 17 cum Cicero ad Philomelium accederet, datae videntur esse: a. d. IV fere id. Sext. (v. supra): quamquam vidimus certo, quo die Cicero Philomelium venerit, definiri non posse.

A. d. VII k. Sept. in castra venit (ad Att. V 20. ad fam. XV 4). A. d. III non. Sext. ad Atticum scripserat V 15 *me nomen habere duarum legionum exilium.* A. d. XI k. Oct. scribit ad Att. V 18, 2 *exercitum quem nos Deiotari adventu cum suis omnibus copiis duplicaturi eramus.* Deiotarus autem habebat cohortes quadringenarias XXX, equitum CIↃ CIↃ (ad Att. VI 1, 14). Itaque exercitus interea non tam peditum, quam equitum numero provinciali dilectu auctus erat; legio enim Romana tum habebat 6200 pedites, 300 equites[1]).

A. d. III k. Sept. Cic. exercitum lustravit (ad Att. V 20, 2 ad fam. XV 4, 3); deerant tres cohortes, quas flagitat ab Appio (ad fam. III 6, 5).

Quinque illas cohortes, quas cum Philomelii consedissent ad reliquum exercitum M. Anneius priusquam Cicero Iconium venerit duxisse narratur XV 4, 2, alias esse facile perspicitur; nam eas cohortes a. d. VII k. Sept. Iconii fuisse apparet, tres illae cohortes post pridie k. Sept. desiderantur (III 5, 6). Itaque perperam Drumannum h. R. VI 126[61] locos illos confudisse facile concedendum est Oppenriedero (l. s. s. p. 17—19) hoc loco forte quaedam de temporum ordine disputanti.

Quo tempore Cicero e castris profectus sit ex his locis cognoscitur: ad fam. III 6, 6 *castra movi ab Iconio pridie k. Sept.* ad fam. XV 3, 1 *cum ad me legati missi ab Antiocho Commageno venissent in castra ad Iconium a. d. III non Sept.* XV 4, 3 *interim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere coepissem k. Sept. legati ... nuntiaverunt.*

---

1) Vide Marquardtii antiquitates Romanas V 2. 324[6]. 325[1] et Plut. Cic. c. 36.

Temere Manutius in utraque ad Catonem epistula *a. d. III k. Sept.* scribendum esse coniecit, nam quoniam legati venerunt cum Cicero iter facere *coepisset* (ad fam. XV 4, 3), Cicero autem in Ciliciam perrexit cum nuntii *venirent* (ad Att. V 20, 2), Cicero nuntium de Parthis non ante pridie k. Sept. (v. ad fam. III 6, 6) accepit.

Recte autem traditam lectionem Hofmannus defendit, cum censeat Ciceronem, postquam castra pridie k. Sept. moveri coepta sint, in castris Iconii mansisse. Altero autem loco ita interpungit *interim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere coepissem k. Sept., legati nuntiaverunt.*

Quin etiam evinci potest e comparatione epistularum ad App. III 6 et III 7 Ciceronem post in castris fuisse quam data sit. ep. III 6. Narratur enim III 7, 4 Appii puerum ad Ciceronem venisse eique nuntiasse Appium ante lucem Iconium venturum esse, post Appium quidem castra praetergressum esse, Ciceronem autem sero Iconium venisse. Haec cum agebantur Cicero sine dubio in castris ad Iconium erat. Atqui Appium castra nondum praetergressum esse cum e tota epistula III 6 tum ex his locis perspicitur III 6, 5 *molestissime autem fero quod te, ubi visurus sim, nescio, eoque ad te tardius scripsi, quod cotidie te ipsum exspectabam: cum interea ne litteras quidem ullas accepi, quae me docerent, quid ageres aut ubi te visurus essem. . . . Sed plane, quando aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum.*

Quodsi in ep. XV 3 traditam lectionem retinemus, haec ep. a. d. III non. Sept. paullove post data est.

Atque etiam epistulam ad Appium III 6 scriptam esse arbitror post nuntium de Parthis acceptum; legimus enim § 6 *iter in Ciliciam facio per Cappadociam*; tribus autem epistulis Cicero explicat, se viam illam ingredi constituisse, cum allatum esset Parthorum copias Euphratem transisse ad Att. V 20, 2 ad fam. XV 2, 1 ad fam. XV 4, 4. Teneamus sane a. d. III non. Sept. nuntiatum esse etiam Armenios im-

petum in Cappadociam facturos esse (ad fam. XV 3[1]). Itaque ep. III 6 a. d. III non. Sept. paullove post, non k. Septembribus, quae Hofmanni sententia est prolata l. s. s., scripta videtur esse; quare Ciceronem etiam post a. d. III non. Sept. in castris fuisse manifestum est.

In ep. III 6 lex Cornelia commemoratur; § 3 *sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent.* §. 6 *et, ut habere rationem possis, quo loco me salva lege Cornelia convenias, ego in provinciam veni pridie kalendas Sextiles.*

Perspicuum igitur est, dies triginta non numerari ab eo die, quo Cicero provinciam ingressus est. Quamquam ita solet definiri in commentariis et in Onomasticis ut in Ernestii Clavi et in Orelli Onomastico sub lege Cornelia. Ni fallor, ab eo die quo nuntius de Ciceronis adventu ad Appinum allatus est, dies 30 ad decendendum reliqui erant.

In ep. ad M. Marcellum XI 9 Cicero scribit *quae mihi de Parthis nuntiata sunt quia non putabam a me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra volui ad te scribere.* Itaque haec epistula data est postquam Cicero a. d. III non. Sept. nuntium de Parthis accepit, at antequam a. d. XI k. Oct. ad senatum litteras misit. Hac epistula Cicero M. Marcello, quod C. Marcellus consul creatus est, gratulatur; quare vix dubium, quin quae epistulae libri quinti decimi ad comitia consularia pertinent, id est sexta, septima octava, simul datae sint.

§ 3.

Cicero cum a. d. XIII k. Oct. novos de Parthis nuntios accepisset, ad senatum de hoc bello referre constituit (XV 1, 2). De espistulis publicis prior sine dubio ep. XV 1 est, nam initio Cicero aperte fatetur superiores litteras ad senatum

---

[1]) Quaecumque bella Romani cum Parthis gesserunt, ea quodam modo ad Armeniam pertinebant vel quod Armenii socii sive Romanorum sive Parthi erant, vel quod de ipsa Armenia certabatur.

non datas esse. Grubero cur XV 2 antea missa esse videatur, cui quidem assentiri videntur Wesenbergius, Baiterus, alii omnes praeter Hofmannum, equidem non intellego. Itaque de epistula prima agitur ad Att. V 18, 1 *nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra; hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae. His de rebus scripsi ad senatum, quas litteras, si Romae es, videbis putesne reddendas.*

Quod Cicero in epistula ad senatum scribit, *Pacorum castra posuisse Tybae magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum* ad Atticum *hostem in Cyrrhestica;* Tyba, quod oppidum qua in parte Syriae situm sit veteres non tradunt, videtur urbs Cyrrhesticae fuisse; nam Cicero addit XV 1 in provincia tumultum excitatum esse, in provinciam autem Parthos per Commagenen regnum profectos esse legimus ad fam. VIII 10, 1; quare quia Cyrrhestica adiacet ad Commagenen Tyba in Cyrrhestica sita videtur esse.

Quod in epistula ad senatum Cicero magis queritur de infirmitate exercitus et sociorum non tam mirum, quam quod in eadem epistula ad Att. V 18 supra scribit § 1 *nobis enim hac infirmitate excercitus, inopia sociorum, praesertim fidelium, certissimum subsidium est hiemps*; infra § 2 *parvo exercitu, sed, ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente, quem nos Deiotori adventu cum suis omnibus copiis duplicaturi eramus, sociis multo fidelioribus utemur quam quisquam usus est . . . qua re bono animo es.* Quae quamquam inter se non pugnant (supra enim Cicero Atticum hortatur, ut, ne quid temporis ad annuum munus addatur, pugnet, infra amicum sollicitudine levat), tamen nullam esse causam videmus, quin in ep. ad Atticum ad epistulam publicam XV 1 respiciatur.

Ad Att. V 18 a. d. XI k. Oct. obsignatam esse prima verba epistulae ad Att. V 19 indicant. Quare Hofmannus ad fam. XV 1 inter a. d. XIII k et XI k. Oct. in itinere scriptam esse putat (Phil. XV p. 670 ep. selectae tom I p. 126).

Atqui litterae, quae num reddantur ad Attici reicitur arbitrium (*his de rebus scripsi ad senatum, quas litteras, si Romae es, videbis, putesne reddendas*), non antea, sed una cum

epistula ad Atticum mihi videntur datae esse; quamobrem mihi persuasum est ut epistulam ad Att. V 18, ita litteras ad senatum XV 1 a. d. XI k. Oct. Cybistris scriptas esse.

Quod Hofmannus negat Ciceronem cum mitteret ep. XV 1 in animo habuisse castra in Cappadocia locare, nobis autem epistula ea in castris Cybistris exarata videtur esse, Hofmanni sententia si esset vera, omnia conturbarentur; omnibus enim locis Cicero ita itineris sui rationem explicat, ut simul nuntio de Partho et Armenio allato et iter per Cappadociam facere et castra in Cappadocia locare constituisse videatur; sin inter a. d. XIII k. et XI k. Oct. consilium cepisset castra in Cappadocia ponere, alio modo res debebat narrare ad fam. XV 2, 2; XV 4, 4 ad Att. V 20, 2. Neque tamen in ep. XV 1 se castra in Cappadocia habere C. narrat nisi quod infra legimus § 6 *Cappadocia est inanis;* sed ita refert § 3 *his rebus adlatis, etsi intellegebam socios infirme animatos esse et novarum rerum exspectatione suspensos, sperabam tamen eos, ad quos iam accesseram quique nostram mansuetudinem integritatemque perspexerant, amiciores populo Romano factos, Ciliciam autem firmiorem fore, si aequitatis nostrae particeps facta esset. Et ob eam causam et ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, et ut hostis is, qui esset in Syria, sciret exercitum populi Romani non modo non recedere iis nuntiis adlatis, sed etiam propius accedere, exercitum ad Taurum institui ducere.* Ita Cicero scribere poterat vel quod Cybistrae quasi in confinio Cappadociae et Ciliciae sitae erant, — confer ad Att. V 18 *Ciliciam prope conspiciente* (loco), — vel quod Cicero iam tum cogitabat in Ciliciam descendere, confer ad Att. V 18 *expedito ad mutandum loco.*

Ac moles belli, si Parthi in Cyrrhestica erant, in Ciliciam sane inclinabat. Cicero autem interim Cybistris ad Armenios a Cappadocia deterrendos manebat (ad fam. XV 2, 2 XV 4, 4 ad Att. V 20, 2), ni fallor, dum Deiotarus socia arma Romanis iungeret; vide ad Att. V 18, 2 ad fam. XV 1, 6 XV 2, 2.

Sed opinione citius Cicero excitus est, cum nuntius venisset Parthos ad Antiochiam accessisse atque etiam in

ipsam Ciliciam Parthos equites transisse (ad fam. XV 4, 7). Cybistris Cicero audivit Parthos in Ciliciam influentes non modo a cohorte praetoria, sed etiam ab equitum turmis reiectos esse (ib.). Quare quod legimus XV 2, 3 *quo cum in loco* (scil. Cybistris) *castra haberem equitatumque in Ciliciam misissem* malim ita interpretari, ut Ciceronem non a Cybistris, quae quidem Drumanni opinio est (VI 130), sed ab Iconio equites in Ciliciam misisse statuamus; nam quoniam Cicero Cybistris quinque tantum dies commoratus est, ibi de equitum victoria nuntium accipere non poterat, nisi aliae equitum alae antea in Cilicia erant. Quod scribitur ad Att. V 16, 4 *sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ii qui veniebant.* Drumannus (VI 128) non de Cilicia, sed de equitibus Romanis in Syria recte ni fallor accepit. Quamquam difficile est certi quidquam proponere, probabilius mihi videtur esse non antea, quam Cicero miserit, equites in Cilicia fuisse, quoniam in epistula ad Appium III 6, qua Cicero cohortes flagitat, equitum nulla fit mentio; quare ab iis equitibus, quos Cicero praemiserat, victoria de Parthis videtur reportata esse.

Cybistris Cicero fuit quinque dies (ad fam. XV 4 ad Att. V 20) vel triduum (ad fam. XV 2, 3), quo loco et adventus dies et discessus excluditur. A. d. XIII k. Oct. Cicero cum in finibus Lycaoniae et Cappadociae fuisset (ad fam. XV 1, 2) a. d. XII k. Oct. videtur Cybistras venisse, a. d. VII k. Oct. inde profectus esse. Ad Att. V 19 a. d. X k. Oct. Cybistris datas esse legimus ad Att. VI 1, 1.

Ad fam. XV 2 a. d. VIII k. Oct. paullove post missa est; vide § 8 *ita confirmato illo ex eo loco castra movi.*

Cicero igitur a. d. VIII k. Oct. a Cybistris profectus iter in Ciliciam per Tauri pylas fecit. Tarsum venit a. d. III non. Oct. (ad Att. V 20, 2); inde nonis Octobribus profectus a. d. VIII id. Oct. castra in agro Mopsuhestiae ad Pyramum fluvium habuit (ad fam. III 8 10). Cum ad Amanum venisset, certior factus est de Parthorum discessu. Sed cum vehementer cuperet curru Capitolium ascendere, quamquam in Crasso oratore cupiditatem illam reprehendere solebat,

Amanum pacare constituit. Itaque simulavit se discedere ab Amano et alias Ciliciae partes petere cumque abesset ab Amano iter unius diei et castra apud Epiphaneam fecisset, a. d. IV id. Oct. cum advesperasceret expedito exercitu ita noctu iter fecit, ut a. d. III id. Oct., cum lucesceret, in Amanum ascenderet (ad fam. XV 4, 8).

Haud alienum videtur esse conferre iter Cyri minoris. Cyrus quidem a Danis excercitum per Tauri pylas duxit, quibus superatis magnam planitiem transgressus quartis castris Tarsum venit; Xen. Anab. I 2, 23 *καταβὰς δὲ διὰ τούτου τοῦ πεδίου ἤλασε σταθμοὺς τέτταρας παρασάγγας πέντε καὶ εἴκοσιν, εἰς Ταρσούς.* Tarso secundis castris ad Psarum, tertiis ad Pyramum venit, quod ad flumen Mopsuhestia sita est; Anab. I 4, 1 *ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς δύο παρασάγγας δέκα ἐπὶ τὸν Ψάρον ποταμόν. Ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμὸν ἕνα παρασάγγας πέντε ἐπὶ τὸν Πύραμον ποταμόν.* Issum denique secundis a Pyramo castris venit *ἐντεῦθεν ἐξελαύνει σταθμοὺς δύο παρασάγγας πέντε καὶ δέκα εἰς Ἰσσούς.* Cicero qui ad Pyramum a. d. VIII id. Oct. erat, ad Amanum videtur a. d. VI id. Oct. venisse, inde a. d. V id. Oct. Epiphaneam redisse.

De epistulis ad App. III 8 et ad Cael. II 9 hoc tempore a. d. VIII id. Oct. datis in primo capite disputavimus.

Sed videamus, quoniam de hac re controversia inter viros doctos est, quo ordine Cicero res narret. Ad Atticum quidem V 20 ita de victoria sua et de itinere refert, ut cum instituerit de Parthis agere, interponat, quas res in Amano gesserit, quasi gestiat cum amico communicare se imperatorem appellatum esse; iam addit V 20, 3 *ibi dies quinque morati, direpto et vastato Amano, inde discessimus; scis enim dici quaedam πανικά, dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου; rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit et Parthis timor iniectus est: itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit.* Quod Tunstallius (in ep. ad Middletonem p. 133) et Bootius interpretantur Ciceronem ab Amano discessisse, cum sibi panicus terror a Parthis inlatus esset, et huic ipsi epistulae repugnat, qua Cicero gloriatur, rumore

adventus sui Parthis timorem iniectum, et epistulae ad Catonem XV 4, e qua perspicitur Ciceronem priusquam Amanienses adortus sit Parthorum fugam audivisse. Immo Cicero declarat ad Att. V 20 a se. Parthis panicum terrorem illatum esse. Quod editio Ascensiana *interim* addit, erant, qui in textum hanc particulam reciperent. At haud scio an possit defendi tradita lectio eaque ratione sententia evolvi, ut *enim* etiam ad id quod sequitur pertineat *rumore enim adventus nostri*, de quo particularum usu disputant Madvigius ad Cic. de fin. I 6, 18 p. 41[3], Naegelsbachius stilist. p. 523.

Drumannus porro existimat Ciceronem finxisse in epistula ad Atticum rumore adventus sui Parthos recessisse, Cassii enim litteras victrices iam nonis Octobribus in senatu recitatas esse (Drum. II 119[30] 120[33]). At scite intellexit Hofmannus verba haec in epistula ad Att. V 21, 2 corrupta esse *quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est nonis Octobribus, eodem meae tumultum nuntiantes.* Quid? nonne apparet e Caelii epistula ad fam. VIII 10 a. d. XIV k. Dec. data (v. § 3) neque Cassii victoriam, neque ullas Ciceronis publicas litteras delatas esse, si quidem scribit § 1 *Cassius cis Euphratem copias Parthorum esse scripsit* § 2 *a te litterae non venerunt.* Quare iure mihi videtur Hofmannus in Ciceronis epistula *datae* pro *id est* posuisse; nam Wesenbergii coniectura *nonis Novembribus* nihil iuvat. Sin Cassius paullo ante non. Oct. Parthos reiecit, Cicero sibi ipse persuadere poterat, rumore adventus sui Cassio animum accessisse. Quamquam hanc sibi gloriam nec in epistula ad Catonem vindicat XV 4 nec in epistula ad Cael. II 10.

Priori illi Drumanni errori videtur alter accessisse, cum existimare videatur ex Ciceronis epistula ad Appium Romae rumorem ortum esse, Parthos Arabas esse (h. R. II 120). Scribit quidem Cicero ad Appium III 8, 10 *de Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornati dicuntur omnes revertisse; hostem esse in Syria negant ullum.* Caelius autem VIII 10, 2 *a te litterae non venerunt,*

et, nisi Deiotari subsecutae essent, in eam opinionem Cassius veniebat, quae surripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum et Arabas in provinciam inmisisse eosque Parthos esse senatui renuntiasse: quare tibi suadeo, quicumque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas, ne aut velificatus alicui dicaris aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Itaque Caelius aperte fatetur nondum allatum esse quae Ciceronis de bello Parthico sententia esset. Praeterea ne suspicatur quidem, hostem nullum in Syria esse, id quod Cicero ad Appium scribit. Ac ne miremur et qui Pyramum et qui Tiberim accolunt hunc rumorem divulgasse, erant sane Parthis Arabes admixti. Confer ad fam: XV 4, 7 *magnas Parthorum copias atque Arabum,* XV 3, 1 *cum maximis Parthorum copiis multarumque praeterea gentium magna manu.* Quare rumor ille non in eorum numero habendus est, qui unde orti sint ne divinare quidem possumus; quibus quidem rumoribus Ciceronis epistulae ephemeridum instar scatent. Cf. ad fam. VIII 1 ad Att. VI 9, 5 XII 2 cet.

A. d. III id. Oct. Cicero Amaniensibus superatis imperator appellatus est. Deinde castra quadriduum habuit in radicibus Amani apud Aras Alexandri magni (ad fam XV 4, 9). Quod scribit ad Att. V 20 *ibi dies quinque morati*, hoc loco sine dubio adnumerat diem, quo pugnatum est, qui est dies a. d. III id. Oct., itaque a. d. XVI k. Oct. ab Amano profectus est ad Pindenissum. Quod oppidum cepit Saturnalibus septimo et quinquagensimo die (ad Att. V 20, 1, ad fam. XV 4, 10). Quod ad Att. V 20 codices quidam habent *septimo et quadragesimo die,* ortum videtur esse e superiore epistula; vide ad Att. V 19, 1 *septimo quadragesimo die;* ad fam. XV 4 omnes codices habent *septimo quinquagensimo.*

Saturnalia anno Juliano agebantur ab a. d. XVI k. Jan. usque ad a. d. XIV k. Jan. Quoniam autem anno antecaesariano mensis Decemb. 29 tantum dies habebat, cum ipsi possumus computare, tum Macrobius[1]) tradit Saturnalia antea

---

[1]) Sat. I 10, 2.

celebrari coepta esse a. d. XIV k. Jan. Itaque mensis Decembris praeteriant

dies		17
adde mensis Novembris dies		29
	Octobris	11
	fiunt dies	57

Obsidere igitur instituit Pindenissum a. d. XII[1]) k. Nov.

Ep. ad Cael. II 10 data est vicesimo quinto die oppugnationis, id est quarto decimo die mensis Novembris, a. d. XVII k. Dec. vel id. Dec. (v. § 3). Ad Att. V 20 a Pindenisso capto datam esse legimus ad Att. VI 1, 9. Neque vero possumus assentiri Wesenbergii sententiae, quae prima specie arridet, priorem partem epistulae § 1—8 a. d. XII k. Jan., posteriorem a. d. V k. Jan. datam esse.

---

[1]) Notum est Romanos in mensum diebus significandis et diem a quo et diem ad quem numerent includere; atque omnino in diebus computandis hunc morem usitatum fuisse nihil est, quin credamus; vide supra ad Att. V 3 *tertio abs te die* (scil. VIII id. VI id.) ad Att. V 12 *sexto die Athenis* (scil. pridie non Quinct. V id. Quinct.) In febrim quartanam Atticus iucidit a. d. IV non. Mart. et non. Mart. (ad Att. IX 2, 1 cf. VIII 6, 3). Conferatur ad Att. IX 1, 1. Ovid. fast. II 267. III 713 cet.

Itaque Pindenissum Cicero videtur a. d. XII k. Nov. oppugnare instituisse atque Attici epistula, quam Cicero a. d. XIII k. Oct. septimo quadragesimo die Roma accepit, a. d. III non. Sext. videtur data esse (v. ad Att. V 19, 1).

At annos Cicero plerumque nostro more computat, ut anuus a quo numeretur excludatur:

Brutus 60 *nam Plautus P. Claudio L. Porcio viginti annis post illos quos ante dixi consulibus mortuus est* . . . . . 550 : 570

ib. 61 *hunc igitur Cethegum consecutus est aetate Cato, qui annis IX post eum consul fuit* . . . . 570 : 579

qui (Cato) *mortuus est annis LXXXVI ipsis ante me consulem* 605 : 691

Brut. 323 *anno meo, sexto post illum* (Hortensium) *consulem* 685 : 691

Cato maior 10 *cumque eo quartum consule adulescentulus miles ad Capuam profectus sum quinto quo anno post ad Tarentum* 540 : 545

ib. 14 *anno enim undevicesimo post eius mortem (Ennii) hic consules T. Flaminius et M. Acilius facti sunt* . . . . 585 : 604

Quamquam ne in eo quidem Ciceronem sibi constare ex his exemplis cognoscitur.

Cato maior 10 *quaestor deinde quadriennio post sum factus* 545 : 550

De oratore II 364 *quadriennio minor est* (Crassus quam Antonius) . . . . 611 : 614

Brutus 161 (Crassus) *quadriennio ipso minor quam Antonius* 611 : 614

Legimus enim § 8 *redeo ad urbana, quae ego diu ignorans ex tuis iucundissimis litteris a. d. V k. Januarias denique cognovi. Eas diligentissime Philogenes, libertus tuus, curavit perlonga et non satis tuta via perferendas; nam quas Laenii pueris scribis datas non acceperam. Iucunda de Caesare et quae senatus decrevit et quae tu speras, quibus ille si cedit, salvi sumus.* Laenii pueris litteras a. d. X. k. Oct. datas esse scribitur ad Att. V 21, 4; itaque Attici epistula, ad quam Cicero respondet, post a. d. X k. Oct. scripta est; non dubium igitur, quin § 8 ad senatus consulta pridie k. Oct. in aede Apollinis facta respiciatur, quo die decretum est, ut k. Martiis de provinciis referretur (ad fam. VIII 8). § 7 autem Cic. scribit *sed est totum quod kalendis Martiis futurum est;* ad eandem igitur Attici epistulam, cuius mentio fit § 8, respicit § 7.

Apparet autem ab alio Ciceronem de senatus consultis certiorem non factum esse, cum scribat *urbana, quae ego diu ignorans ex tuis litteris cognovi,* § 7 autem de senatus consultis pridie k. Oct. factis agitur, nam antea Cicero ad Atticum scripserat V 18, 3 *si integra nostra causa ad k. Jan. manserit, ut Romae sis mense Januario.* Itaque § 8, qua Cicero Attici se accepisse litteras narrat, non potest aliquot diebus post paragraphum septimam exarata esse, sed uno tenore epistula scripta est. De sententiarum nexu mox viderimus; sed recte videtur Gruberus suspicatus esse numerum lippientis librarii culpa corruptum esse et Ciceronem Attici epistulam non a. d. V k. Jan., sed a. d. IV k. Jan. accepisse. Nam quod legimus § 5 *mancipia venibant Saturnalibus tertiis cum haec scribebam in tribunali res erat ad HS CXX* per tot dies usque ad a. d. V k. Jan. mancipia sub hasta venisse, credibile non est. Utrum autem interpungendum sit *mancipia venibant. Saturnalibus tertiis cum haec scribebam* an mancipia *venibant Sat. tertiis. Cum haec scribebam* cet. in dubio relinquo. Cum Wesenbergius in duas partes hanc epistulam discerpsit, tum Schuetzius paragraphum septimam in clausula epistulae post paragraphum decimam posuit; oratio sane desultare videtur et sententiae vagari; sic autem cohaerent. Cicero et de rebus gestis § 1—6 et de con-

tentia sua § 6 refert; deinde finem narrationis his verbis facit: *habes omnia. Nunc publice litteras Romam mittere parabam; uberiores erunt, quam si ex Amano misissem. At te Romae non fore.*

Duplex erat causa, cur Cicero Atticum Romae esse vellet, una, quo facilius supplicationes sibi decernerentur (cf. VI 4); altera, ne retineretur in provincia (cf. V 18, 3 cet.). Atque cum unius causae mentio facta sit his verbis *at te Romae non fore*, altera naturali quadam coniunctione occurrit *sed est totum, quod kalendis Martiis futurum est; vereor enim ne, cum de provincia agetur, si Caesar resistet, nos retineamur: his tu si adesses, nihil timerem.* Et quoniam in kalendarum Martiarum mentionem incidit, hinc proximus est transitus ad Attici litteras, e quibus cognoverat k. Martiis de provinciis actum iri.

Jam respondet singillatim ad Attici litteras, ad quas supra spectant § 1 *sic enim concedis mihi proximis litteris*, § 6 *quod me maxime hortaris*, § 7 *sed est totum quod kalendis Martiis futurum est.* Ita fit, ut iterum mentionem senatus consultorum inferat, neque sibi repugnat quod supra § 7, suis rebus cum timet, se vereri declarat, ne, si Caesar resistat, ipsi imperium prorogetur, infra autem § 8 cum fatetur sibi iucunda senatus consulta esse scribit *quibus ille si cedit salvi sumus.* Praeterea cum Attico de Nicanore respondeat, iterum narrat, se litteras publicas Romam missurum et Nicanori traditurum esse. Hac fere ratione sententiae se excipere videntur. Est igitur haec epistula Pindenisso data; ni fallor sub idem tempus atque ep. ad Curionem II 7; confer § 3 *paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut ... unis litteris totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem.*

CAPUT III.

§ 1.

A Pindenisso Cicero se Tarsum recepit. A Tarso nonis Januariis in Asiam profectus est (ad Att. V 21, 7). A. d. III id. Febr. Laodiceam venit (ad Att. V 21). Ad Appium III 7 Laodicea data est v. § 1 non antea igitur quam a. d. III id. Febr. Ad Atticum V 21 id. Februariis (v. § 9).

Una cum litteris publicis litteras ad consules XV 10. XV 13 et ad Catonem XV 4 missas esse in his epistulis legimus XV 10, 1 *ut quam honorificentissimum senatus consultum litteris meis recitatis faciundum cures.* XV 13, 3 *dignas res esse honore et gratulatione cognosces ex iis litteris, quas ad te et collegam et senatum publice misi.* XV 4, 11 *si de iis rebus ad senatum relatum sit.*

Sed recte mihi videtur Hofmannus demonstrasse (de orig. b. c. p. 58) Ciceronem litteras ad senatum non. a. 703 sed a. 704 mense Februario misisse. Nam harum litterarum nulla inicitur mentio in ep. ad Att. V 21, quamquam locus erat aptus § 2 ubi agitur de litteris. At in epistula ad Att. VI 1, quam a. d. X k. Mart. obsignatam esse mox videbimus, haec scripta sunt § 9 *quibus de rebus propter casum navigandi per binos tabellarios misi Romam litteras publice.* Denique in ep. ad Appium III 9, quam post ep. ad Att. VI 1 missam esse demonstrabimus, Cicero cum litteras publicas commemorat, tum Appium, ut supplicationes sibi decernat, rogat. Adde quod Cicero non prius sollicitus erat, quid de supplicationibus actum esset quam mense Junio (ad Att. VI 4, 2). Quae cum ita sint, facile concedimus Hofmanno inter ep. ad Att. V 21 et VI 1 litteras publicas missas esse. Ep. ad Att. VI 1 data est post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto (v. § 26). Constat hanc pugnam esse proelium Bovillanum quo Clodius occisus sit eandemque supra

intellegi ad Att. V 13, 1 *Ephesum venimus a. d. XI k. Sextiles sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam.*

Clodius interfectus est auctore Asconio a. d. XIII k. Febr. 702 (Asc. in. Mil. p. 32); reliqui igitur anni 702, qui annus auctus mense intercalari aut 22 aut 23 dierum, 377 aut 378 dies habebat, dies 360 aut 361

Anni 703 a. d. XI k. Sext. praeterierant

mensis Januarii dies		29
	Febr.	28
	Mart.	31
	Apr.	29
	Maii	31
	Junii	29
	Quinctilis	21
	fiunt dies 558 aut	559

Probabilius sane esse, 560o die 559 quam 558 dies praeterisse nemo non intellegit; itaque merito Bardtius (quaestiones Tullianae pag. 29) ex hoc loco collegit, mensem intercalarem a. 702 23 dies habuisse. Epistula igitur VI 1 a. d. X k. Mart. data est, quo die post a. d. XIII k. Febr. a. 702 ipsi 765 dies circum acti sunt.

a. 702	361	dies	
a. 703	355	"	
a. 704	29	"	mensis Januarii
	20	"	mensis Februarii
fiunt	765	dies.	

Neque enim potest ep. VI 1 data esse, quo die 764 dies praeterierant, a. d. XI k. Mart. Nam legimus § 1 *accepi tuas litteras a. d. quintum Terminalia* id est a. d. XI k. Mart.; eo autem die Ciceronem non rescripsisse inde elucet, quod ep. VI 1 elucubrata est; vide § 2 *sed tamen eo ipso die quo haec ante lucem scribebam.* Qui Pontederae ad Att. V 13 numeranti 555 dies crediderunt, ad Att. VI 1 a. d. VI k. Mart. scriptam esse voluerunt, velut Schuetzius, Gruberus cet.; quippe qui pergerent numerare ab a. d. XI k. Sext.; verum Bardtius, qui docuit a. d. XI k. Sext. a. 703 559 dies praeter-

isse, ep. VI 1 a. d. X k. Mart. scriptam esse recte demonstrat.

Ep. ad Appium III 9 post ep. ad Att. VI 1 scriptam esse inde perspicitur quod in ep. ad Att. VI 1, 2 Cicero Appii inhumanas ex itinere datas litteras commemorat, Romae datarum autem humanarum, ad quas Cic. rescribit III 9 (v. § 1), nulla fit mentio. Praeterea Appii litteras reddidit Philotimus (III 9, 1), de quo Cicero in epistula ad Att. scripsit VI 1, 19 *Philotimum circiter k. Januarias in Chersonesum audio venisse: at mihi ab eo nihil adhuc.* Magis autem inclinat animus, ut arbitrer ad unum Philotimum omnes locos referendos esse, quam ad plures Philotimos[1]).

In ep. ad Att. VI 4, 3 Cicero scribit *τῆς δάμαριός μου ὁ ἀπελεύθερος ἔδοξε μοι πεφυρακέναι τὰς ψήφους.* VI 5, 1 *τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος ἔδοξέ μοι πεφυρακέναι τὰς ψήφους.* His locis videtur de Philotimo agi, confer VI 4, 5 et VI 5, 1 *πεφυρακέναι* ad Att. VI 9, 2 *τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν.* In epistula autem ad App. III 9, 1 Cicero scribit *Philotimo, liberto meo.* At in epistulis ad Att. VI 4 et VI 5 Cicero *ἐν αἰνιγμοῖς* loquitur (cf. VI 7, 1), ut ex illis certi quidquam colligi non possit; et fieri sane poterat, ut in ep. ad Appium libertum uxoris suum libertum nominaret.

Iam autem a. 705 Philotimus Caesaris litteras attulit a. d. VI non. Mai. (ad Att. X 8 A. X 8, 10. X 9, 1). A. d. IV

---

[1]) Erat Philotimus libertus cui saepe litterae dantur et mandata ad. Att. V 3 ad fam. III 9 ad Att. VI 3. VII 3. IX 7, 6. IX 9, 2, 3. ad fam. IV 2. ad Att. X 7, 2.

Erat procurator, improbus sane: ad Att. V 8 ad fam. VIII 3 ad Att. VI 1, 19. VI 1. VI 5. VI 7. VI 9. VII 1, 1, 9. VII 3, 7. VIII 7, 3. X 5, 3. X 7, 3. X 15. XI 1, 2.

Operis prae est ad Att. II 4, 7 ad Att. IV 10, 2 ad Q. fr. III 1, 1 ad fam. XIV 18. Cf. ad Att. VII 19, 22, 23—26. VIII 1. VIII 7, 3, 16. XI 16. 19. 23. 24. XII 44, 3. 47, 3 ad fam. XIV 24.

Erat homo fraudulentus (ad Att. VI 4 cet.); operarius (ad Att. VII 2, 8). Graece videtur nescivisse, quoniam Graece de eo Cic. ad Att. scribit VI 4, 5; magna tamen erat auctoritate: tribules ei commendantur (ad Q. fr. III 1, 1), Sulpicius ei mandata dat (ad fam. IV 2); puerum habet (ad Att. X 15 Eros Philotimi). Ridiculum autem, quod homunculus ille operarius et fraudulentus „nimium optimas“ erat (ad Att. IX 7, 6).

non. Mai. ab Attico litteras Philotimus reddit (X 11, 1, 4). Ciceronem tum in Cumano fuisse constat (cf. ad Att. X 13, 1. X 15, 4); vix autem dubitandum, quin Atticus per totum illud tempus Romae manserit (ad fam. XIV 14, 2). Quamquam credibile non est, Philotimum triduo iter a Cumano Romam atque illinc in Cumanum confecisse, fieri tamen poterat, ut Philotimus a Cicerone in praedium vicinum missus obvius esset Attici tabellariis; itaque poterat Philotimus a. d. IV non. Mai. Attici litteras Ciceroni reddere. Quae cum ita sint certam causam nullam possumus reperire, quae prohibeat, quin idem omnibus locis Philotimus intellegatur.

Ep. ad Cael. II 11 ipsis Megalensibus, id est pr. non. Apr. (de pantheris confer. ad Att. VI 1, 21). Ep. ad Thermum II 18 mense Maio cum Cicero se in Ciliceam reciperet (v. § 2).

Ecce tres epistulae, quae quasi de eodem oleo videntur exaratae; eodem enim ordine atque isdem fere verbis exponitur, quibus de causis Cicero Appium gratia complecti debeat ad Att. VI 2 ad Cael. II 13 ad App. III 10; hac autem serie mihi videntur missae esse: ad App. III 10 ad Att. VI 2 ad Cael. II 13. Ad Att. VI 2 inter k. et nonas Maias v. § 4 *atque hoc foro, quod egi ex idibus Februariis Laodiceae* ad k. Maias § 6 *nonis Maiis in Ciliciam cogitabam.* Ep. ad Cael. II 13 inter k. et non. Maias v. § 3 *mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram . . . proficisci in Ciliciam nonis Maiis.* In ep. ad Att. VI 2, 6 sic est *habebam acta urbana usque ad nonas Martias, e quibus intellegebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri quam de provinciis.* In proxima autem epistula VI 3, 4 *huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paullo, non quo ullum periculum videam stante Pompeio, . . . sed mehercule Curionis et Paulli meorum familiarium vicem doleo.*

Cum notum sit, Curionem et Paullum a Caesare corruptos esse (Suetonius Caes. 29. Appianus II 26. Velleius II 48), dubitari nequit, quin ad Att. VI 3 de Curionis et Paulli ad Caesarem transitu agatur. Cicero igitur cum ep. VI 2 scriberet, ex actis quidem publicis quid Curio ageret videtur cognovisse, sed nondum perspexisse, cur Curio ita se gereret. Quid enim in inferiore

demum epistula VI 3 huius rei mentio fit? At vero in ep. ad Cael. II 13, 3 Cicero rescribit ad Caelii ep. VIII 6, 5 quo loco aperte narratur Caesarem a Curione defendi. Acta autem illa urbana, quamquam disertis verbis in ep. ad Cael. non commemorantur, tamen Cicero videtur accepisse, quoniam omnis timor, qui eum angebat de provincia, consedit ac Cic. fatetur II 13, 3 ex senatus consulto decedere sibi in animo esse. Proxima enim in epistula II 10, quam vehementer Cicero sollicitus erat, quam suspenso animo! Quoniam igitur Cic. ad Att. VI 2, 6 declarat, ex actis sibi spem iniectam esse nihil sibi temporis additum iri, ea in manibus videtur habuisse cum scriberet ep. ad Cael. II 13.

Epistula ad Appium III 10 aliquanto ante potest data esse, neque enim Cicero narrat se iurisdictionem confecisse, neque acta urbana videtur accepisse, scribit enim § 3 *illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur.* At Caelii epistula commemoratur § 5 *cuius* (scil. Dolabellae) *sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus.* Verum si quaerimus, in ep. VIII 6 Dolabellae sermo non perscribitur, ad superiorem autem Caelii epistulam his verbis respicitur VIII 6, 2 *quid mihi discedens mandaris, memini; quid ego tibi scripserim te non arbitror oblitum.* Vel Nakius, qui dissertatione de M. Caelii epistulis in Symbola Philologorum Bonnensium in honorem Ritschelii edita p. 373—384 demonstrat, non selectas, sed paene omnes Caelii epistulas librum octavum continere, in ep. VIII 6 existimat de epistula Caeli, quae non exstat, agi. Atque, quamquam ep. VIII 10 his verbis clauditur *mei officii est meminisse, qua obtestatione discedens mihi, ne paterer fieri* (scil. ut prorogetur) *mandaris* iterum iterumque perlegenti ep. VIII 6 necesse mihi videbatur esse, verba prolata, quoniam inter ea, quae de Dolabella scribuntur, posita sunt, ad Dolabellam referre. Quare epistula Caelii, quae desideratur, sermonem Dolabellae videtur habuisse eaque epistula, non VIII 6, in epistula ad App. intellegi.

Nulla igitur est causa, quin epistula ad Appium et epistula ad Caelium et ep. ad Atticum tempore antecedat;

consentaneum autem est, Ciceronem ubi nuntius allatus sit Appium reum factum esse, statim ad Appium, postea autem ad Atticum et ad Caelium de benevolentia sua scripsisse.

§ 2.

Iam vero, quoniam ad exitum proconsulatus pervenimus, hac ratione iter et epistulas disponamus Circiter nonas Maias Cic. Laodicea in Ciliciam concessit, in hoc itinere data est ep. ad Att. VI 3. Nonis Iuniis Cicero Tarsum venit, inde in castra ad Pyramum perrexit, in castris etiam a. d. V k. Quinct. erat; cadunt in hoc tempus ad Att. VI 4 ad fam. II 12. III 11. II 19 ad Att. VI 5 Tarsi erat a. d. XVI k. Sext. tum fere datae ad fam. II 17 ad Att. VI 7 ad fam. XV 5. 11. III 13. A. d. III k. Sext. cum provinciam quaestori tradidisset, a. d. III non. Sext. ad Sidam navi accessit; tum dedit ad App. III 12, fortasse etiam ad Cael. II 15 ad Att. VI 6. A Sida Rhodum navigavit; a Rhodo via terrestri Apameam et Laodiceam contendit. Ephesi cum etesiis retentus esset, navem conscendens k. Oct. ep. ad Att. VI 8 dedit.

Ad Att. VI 3 proxima epistula post ad Att. VI 2 est. Confer VI 2, 1 *cum Philogenes, libertus tuus Laodiceam ad me salutandi causa venisset et se statim ad te navigaturum esse diceret, has ei litteras dedi* ad Att. VI 3, 1 *etsi nihil sane habebam novi quod post accidisset quam dedissem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras.* Itaque perperam Gruberus ep. ad Att. VI 3 post VI 4 scriptam esse voluit l. s. s. p. 14 „nam VI 3 eum in castra iam pervenisse legimus". Legimus autem VI 3, 6 *Gavius est quidam. Is me nec proficiscentem Apameam prosecutus est, nec, cum postea in castra venisset atque inde discederet, num quid vellem, rogavit.... Is igitur Gavius cum Apameae me nuper vidisset Romam proficiscens . . . unde, inquit, iubes me petere cibaria praefecti*[1]). Dubitari quidem non potest, quin Gavius a. 703 in castra venerit; nam postea quam e castris discessit Romam proficiscens Ciceronem convenit. Inde conficitur, Ciceronem a. 703 iam Gavio succensuisse. At a. 704 mense Februario ad Atticum

[1]) De re cf. Mommsenus de iure publico I 287.

scribit VI 1, 4 *ego tamen, quas per te Bruto promiseram praefecturas, M. Scaptio L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli*; nihil addit, tum iam inhumanitate Gavii se offensum esse. Videmus igitur Ciceronem odium in pectore diu inclusisse; tum demum effudisse, cum quasi cumulus ad arrogantiam Gavii accessisset, quod cibaria postularet. VI 4 nonis Iuniis paullove post vide § 1 *Tarsum venimus nonis Juniis. Ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia.* § 3 *haec festinans scripsi in itinere atque agmine.* Ex his locis elucet Ciceronem a Tarso in castra iter fecisse.

In castris ad Pyramum binas Appii litteras accepit, quarum unis dies erat a scripta nonarum Aprilium; ad eas rescribitur ep. III 11 cf. § 1. Antea autem epistulam ad Caelium II 12 datam esse ex his verbis apparet *ita molestae Quinquatrus adferebantur ... nam citeriora nondum audiebamus.*

At non ante Junium haec epistula videtur missa esse, in qua scribitur II 12, 2 *etsi, cum tu haec leges, annuum munus confecero.* Confecit quidem annuum munus Cicero a. d. III k. Sext. (cf. ad Att. VI 3, 1); litterae autem poterant Romam deferri 47 diebus (ad Att. V 19). Quod M habet II 12, 2 *pessinuncte a diatoregem,* N (alterum huius ep. exemplar. inter VIII 9 et 10) *pessinunte ab Jorigge,* malim cum Baitero emendare *Diogenes tuus, homo modestus, a me cum Philone Pessinuntem* (Martyni Laguna *Pessinunta*) *discessit, iter habebant ab Adiatorige* (de ingeniosa Taurelli coniectura), quam cum Orellio et Wesenbergio, etsi haec paulo propius ad traditas lectiones accedunt, *Diogenes a me Pessinunte discessit; iter habebant ad Adiatorigem.* Nam ab omni probabilitate alienum est, Ciceronem provincia egressum esse et Pessinunte fuisse.

Ep. ad fam. II 19 a. d. X k. Quinct. paullove post in castris (v. § 1). Ep. ad Att. VI 5 a. d. V k. Q. vide *nos etsi annuum tempus prope iam emeritum habebamus ... dies enim XXXIII erant reliqui* . . . id est mensis Quinct. 29, mensis Junii 4 (cf. ad Att. V 13, 1). Neque recte in editionibus inscribitur huic epistulae *Tarsi*; nam Cic. in castris erat cf. § 2

esse officium meum putavi exercitum habere quam proxume hostem quoad mihi praeesse provinciae per senatus consultum liceret. Videtur Cicero, cum scribit se exercitum habere quam proxume hostem, copias a Pyramo ad Amanum duxisse. Quare ferri potest Manutii coniectura ad Att. VI 7, 2 *Tiro ad te dedisset litteras, nisi eum graviter aegrum Issi* (M: *esse*) *reliquissem.*

Ep. ad fam. II 17 a. d. XVI k. Sext. paullove post Tarsi (v. § 1). Ex hac epistula perspicitur interea Parthos discessisse. Ita autem Cicero qua via rediturus sit exponit: § 1 *commoraturum me nusquam sane arbitror, Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto neque id tamen certum.* § 4 *eas nos Apameae deponere cogitabamus. Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae.* Eadem fere ratione, qua in ep. ad Att. VI 7 *ego Laodiceae quaestorem Mescinium expectare iussi* (M *misi*), *ut confectas rationes lege Julia apud duas civitates possem relinquere. Rhodum volo puerorum causa, inde quam primum Athenas, etsi etesiae valde reflant.* Eodem igitur fere tempore, quo ep. ad fam. II 17, ep. ad Att. VI 7 videtur data esse; est enim proxima post ep. VI 5 cf. VI 7 *bis ad te antea scripsi de re mea familiari; si modo tibi redditae sunt, Graece ἐν αἰνιγμοῖς* scilicet in ep. VI 4 et VI 5. Ciceronem iam cognovisse supplicationes sibi decretas esse haec declarant VI 7, 2 *his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus.* Quare tum fortasse datae sunt ep. ad fam. XV 6 et 11, quibus litteris gratiae aguntur Marcello atque etiam Catoni non decernenti supplicationes.

Epistulam ad Appium III 13, qua Appio gratiae aguntur, quod operam navavit, ut Ciceroni supplicationes decernerentur, cum Gruberus l. s. s. p. 14 post III 12 datam esse existimat, quod de Dolabellae adfinitate III 12 ut de re nova, III 13 ut de re nota agatur, tum editores credere videntur. III 12 a. d. III non. Sext. data est cf. § 4. At quoniam vidimus magistratuum voluntatem in supplicationibus decernendis Ciceronem mense Quinctili cognovisse, persuaderi mihi non potest Ciceronem mense Sextili, quam sententiam Appius dixisset, nondum comperisse. An significationem ullam

ep. tertia decima habet, sero gratias agi? Adde quod in clausulis decimae, undecimae, tertiae decimae ep. Cicero se sperare Appium iam censorem esse adicit; in ep. duodecima id omittitur; itaque Appius iam censor videtur factus esse. His fere argumentis Hofmannus mihi videtur effecisse (de orig. b. c. p. 86), ep. ad App. III 13 ante ep. III 12 missam esse. At haud scio an non debeamus confugere ad Hofmanni interpretationem, qui negat ad Dolabellam referenda esse, quae sunt in ep. III 13 *vellem ita fortuna tulisset, ut, quanti ego omnis tuos facio, tanti tu meos facere posses.* Hofmannus enim ita l. c. disputat: „At non necesse est Ciceronis verba ad Dolabellam ipsum referamus. Agitata enim erat haec res iam inde ex mense Februario, percrebuerat Dolabellae loquacitate (cf. ad fam. VIII 6 cet.) mulierumque nimia cupiditate et multos iniquos sermones excitaverat; expostulaverat hoc nomine Appius ipse sum Cicerone multo priusquam res confecta est. Numquid causae igitur est, quin illa verba scripta esse putemus, ut Terentia et ei Ciceronis amici, qui ad hanc rem adiutores mulieribus se praebuerant, excusarentur et, si fieri posset, cum Appio reconciliarentur".

Sed quod Cicero scribit *hac re novata* Tullia Dolabellae iam videtur desponsa esse; nam et antea Cic negaverat consilium initum esse Tulliae Dolabellae iungendae (III 10, 5) et tum putabat Tulliam Neroni pactam esse (vid. Att. VI 6). Accedit quod antea scripserat III 11, 5 *nec erat iam quisquam mecum tuorum praeter omnes meos, qui sunt omnes tui.* Quae cum ita sint, in ep. tertia decima de nova adfinitate videtur agi. Nonne fieri poterat, ut Cicero primum obiter eius rei mentionem faceret III 13; deinde, cum gratulando Appius Ciceronem quasi accusasset, excusationes expromeret III 12? Epistula igitur III 13 post ep. ad Att. VI 7, nam in ep. VI 6 Cicero de novo genero scribit, ante ep. ad App. III 12 data est.

Illuxit tandem laetus dies quo Ciceroni decedere licebat. A. d. III k. Sext. Coelium Caldum provinciae praeposuit (ad Att. VI 6 ad fam. II 15) a. d. III non. Sext. Cicero ad Sidam navi accessit; eo die paullove post data est III 12 v. § 4

De ep. ad Att. VI 6 et ad Cael. II 15 ambigitur. Ad Att VI 6, 2 legimus *de Hortensio te certo scio dolere, equidem excrucior; decreram enim cum eo valde familiariter vivere.* Ep. ad Caelium rescribitur ad Caeli ep. VIII 13 quae his verbis clauditur *Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat.* Iam in prooemio ad Brutum c. 1 Cicero haec narrat *cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum.* Inde videtur confici, ad Att. VI 6 et ad fam. II 15 Rhodo datas esse. Sed Tunstallius in epistula ad Middletonem p. 56 suspicatur Ciceronem, quo aptius prooemium ad Brutum esset, Rhodi se de Hortensii morte certiorem factum esse finxisse. Ab Hortensio quidem cur Cicero exorsus sit, facile intellegimus; nam in Bruto Hortensium quasi in fastigio eloquentiae ponit. Praeterea, quod haud scio an recte mihi in opinionem venerit, extremo tertio de oratore libro, quas spes excitet Hortensius, declaratur, Brutum autem Cicero quartum de oratore librum haberi voluit (v. de divinatione II 1). Attamen si Cicero finxisset *Rhodi potissimum nobilissimi eloquentiae emporii* se nuntium accepisse, uberius fusiusque de Rhodo insula egisset. Rhodine sermo habetur? Minime vero, nam Romae in xysto amici disputant. An recolit Cicero pristini temporis memoriam? Nihil de Molone, nihil de oratoria disciplina Rhodia, nihil denique de ipsa insula omni florente laude addit, neque in prooemio neque quibus locis insulae mentio fit 51. 79. 151. 312. 316. At vero quam venuste Cicero describit, in prooemiis ad quintum de finibus et ad alterum de legibus librum quam vehementer animi locorum nobilitate moveantur.

Quae cum ita sint, Tunstallii sententia reicienda mihi videtur esse. Atque Drumannus l. s. s. VI 181[79] putat in epistula ad Atticum Ciceronem de morbo mortifero Hortensii scribere, cum respiciant ad Caelii epistulae verba *Q. Hortensius animam agebat.* Qui animam agat, nondum fato defunctum esse confirmari potest loco Liviano XXVI 14 *itaque noctem totam plerique eorum et diei insequentis partem cum animam egissent, omnes tamen prius quam aperirentur hostibus portae,*

exspirarunt. Atque possunt ad morbum referri, quae legimus in ep. ad Atticum, praesertim cum excruciandi verbum saepe coniungatur cum angendi notione atque ad morbum pertineat (cf. ad fam. XIV 19). Potest igitur et ep. ad Cael. et ep. ad Att. data esse priusquam Cicero Rhodum venit; sed tamen neque certa attulit argumenta Drumannus epistulas illas non posse Rhodi datas esse, et fateri debemus, et, qui animam agat, in mortuis numerari, et in ep. ad Att. ad obitum Hortensii respici posse. Quare in dubio relinquendum est, utrum Rhodo an antea epistula ad Cael. II 15 et ep. ad Att. VI 6 datae sint. Quin etiam facilius adducor, ut ep. ad Att. Rhodo missa sit. Nam cum Cicero instituerit ad Attici litteras Athenis datas respondere de largitione, de Academia 6, 1 2, etiam ea, quae sine transitu de Hortensio sequuntur, ad Attici litteras rescribi videntur. Neque vero credibile est, et Roma Caelium et Athenis Atticum de morbo Hortensii scripsisse, quoniam non longo morbo Hortensius implicitus erat, sed perpaucis diebus postquam Appium defendit, mortuus est (Brut. 230. 324). Adde quod scribitur VI 6 3 *nam quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te scripseras, quid esset mihi faciendum de relinquendo.* Eae enim Att. litterae rescriptae videntur esse ad Ciceronis ep. VI 3, qua Cicero docet se Quintum fratrem relicturum esse. Quod Cicero responsum ad litteras mense Maio datas multo ante accepit, suffragatur sententiae, ep. VI 6 medio vel exeunte Sextili, id est Rhodo, datam esse. Hanc epistulam Attico a. d. XII k. Oct. nondum redditam esse, legimus ad Att. VI 9.

Iam a Rhodo via terrestri Cicero Laodiceam videtur contendisse. Mense Quinctili Cicero et ad Cn. Sallustium (ad fam. II 17) et ad Att. VI 7 scripserat, se Apameae et Laodiceae rationes deponere velle. Sed quoniam Cicero a. d. XVI k. Sext. Tarsi erat (ad fam. II 17, 1), a. d. III non. Sext. ad Sidam navi accessit (ad fam. III 12, 4), interea Ciceronem Laodiceae et Apameae fuisse spatiorum ratio mihi non videtur pati. Cicero a. 704 Tarso profectus nonis Januariis Laodiceam a. d. III id. Febr. venit (ad Att. VI 21, 7 V 21, 4), Laodicea

autem cum se circiter non. Maias in Ciliciam recepisset, Tarsum non. Juniis venit (ad Att. VI 2 VI 4). Citius sane iter confici potuisse equidem haud abnuerim; sed maiore quam Caesarina celeritate usus esset, qui ad summum 18 diebus et a Tarso Laodiceam iter fecisset, et inde rationibus et Laodiceae et Apameae depositis oram maritimam cum repetivisset Sidam venisset. Itaque post a. d. III non. Sext. Laodiceam profectus est. Constat autem Ciceronem tum decedentem Rhodum venisse (v. supra) tum mense Septembri Ephesi fuisse (ad Att. VI 8). Quod scribitur VI 8, 4 in epistula Epheso data *nos etesiae vehementissime tardarunt. Detraxit XX ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum* Drumannus putat VI 181 Ciceronem in navigatione 20 dies comsumpsisse. Quae interpretatio quamquam per se proba est tamen, si navibus Cicero iter Ephesum fecit, perspici non potest, quo tempore Laodiceae fuerit, nec sane e Drumanni narratione (p. 178—181) intellegitur. An Epheso Cicero Laodiceam rediit? aut a Sida Laodiceam, inde Rhodum iter fecit? Quae itineris ratio quam mira sit, qui tabulam geographicam inspexerit, facile intelleget. Quare malim Bootio assentiri ita interpretanti: „aphractus Rhodiorum seu non veniens die dicto seu reficiendus attulit etiam moram XX dierum". Etesiae igitur non in ipsa navigatione reflavisse, sed Ephesi Ciceronem videntur tenuisse, quod praeclare convenit ad etesiarum tempus, qui flabant mense Quinctili sub caniculae ortum, id est ratione fastorum perturbatorum habita a. 704 mense Septembri[1]). Neque vero impediebant Trebonium a. 707 mense Sextili 28 diebus Seleucea Brundisium navigantem.

Adde quod Cicero ad Servium Sulpicium a. 708 scribit XIII 21, 1 *nisi audirem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyrae commorari.* M. ille Aemilius Avianus, de quo Cicero scribit, non in oppidulis Ciliciae et Pamphyliae, quibus nomen Cibyrae est, sed in florentissima Pisidiae urbe domicilium

[1]) De etesiis vide Manutii adnotationem ad fam. II 15 et Wachsmuthii excursum tertium in antiquitatibus Graecis.

videtur habuisse. Anno autem 703 per Cappadociam et Tauripylas Cicero in Ciliciam profectus est (ad Att. V 20); anno 704 cum in Asiam concederet, in Lycaonia Iconii Attici litteras accepit; in Ciliciam porro cum rediret Apameae Gavium offendit (ad Att. VI 3). Quid igitur? Non alio itinere Cicero Cibyram videtur venisse nisi cum a Rhodo Laodiceam via terrestri proficiscebatur. Illud autem vix negari potest, Ciceronem Laodiceae et Apameae fuisse; nam in ep. ad Mescinium Rufum haec sunt V 20, 2 *quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id quoniam lege Julia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdem totidem verbis referre ad aerarium, feci in provincia . . . Illud quidem certe factum est, quod lex iubebat, ut apud duas civitates, Laodicensem et Apameensem, quae nobis maximae videbantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas conlatas deponeremus.* Quamquam haec epistula ad eo obscura est, ut Martyni-Lagunae una omnium difficillima visa sit, tamen e l. s. s. apparet Ciceronem Laodiceam et Apameam venisse.

Ultima ex Asia. ep. data est ad Att. VI 8 k. Oct., quo die Cicero Ephesi navem conscendit. Pridie id. Oct. Cicero Athenas venit (ad Att. VI 9 ad fam. XIV 5). Id. Oct. data est ep. ad Att. VI 9. Tametsi in hac epistula scribitur *ego tabellarios postero die ad vos eram missurus,* dubium tamen est, datane sit ad Att. VII 1 a. d. XVII k. Nov., nam nullam habet temporis significationem nisi quod § 9 ep. ad Terentiam commemoratur *hoc primum, in quo accessit cura dolori meo, sed hoc tamen quidquid est, Precianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me quidquid possem nummorum ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum esse.* Agitur de epistula ad fam. XIV 5; quae temporis notam a. d. XV k. Nov. habet, est enim in ea de hereditate Preciana; antiquiores autem Athenis litteras non datas esse prima verba docent. Itaque non liquet, utrum in ep. ad Terentiam numerus corruptus sit, an ep. ad Att. non XVII k., sed XV k. scripta sit.

A. d. IV non. Nov. Cicero Patris profectus est; epistulis in itinere ad Tironem datis ad fam. XVI 1—9 Cicero diem ascripsit. Quod scribit XVI 2 *tertio die abs te*[1]) *ad Alyziam accesseramus* nihil est, quin hoc loco, ut supra (ad Att. V 3, 1) dies, quo Cicero discessit, *inclusus sit.* Confer XVI 9, 1 *nos a te, ut scis, discessimus a. d. III non. Nov. 3, 1 nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quinctus nos consecutus non erat: is dies fuit non. Nov. inde ante lucem proficiscentes ante diem VIII idus Nov. has litteras dedimus.* Cicero igitur pridie non. ad Alyziam accessit, non. Nov. ibi commoratus, a. d. VII id. profectus est. VII k. Dec. Cic. Brundisium venit (ad Att. VII 2, 1). Iam quae sequuntur litterae ad bellum civile referendae sunt.

§ 3.

Restat, ut breviter disseramus de litteris commendaticiis, quae cadunt in annum 703/4. Ad Memmium XIII 1 ante pridie non. Quinct. a. 703 cf. ad Att. V 11. XIII 2 commendatur C. Aemilii. Quamquam suspicari licet, M. Aemilium esse M. Aemilium Avianium, quem Cibyrae commoratum esse

---

[1]) *tertio abs te die* est ellipsis pro *tertio die postquam abs te discessi.* Praeterea seiungendi vis, quae quodam modo in a praepositione videtur in esse, tum apparet, tum obscuratur. Vide Cic. academica priora VI 16 *post autem confecta a Carneade*[5], *qui est quartus ab Arcesila, audivit enim Hegesinum*[4], *qui Euandrum*[3] *audierat, Lacydi*[2] *discipulum, cum Arcesilae*[1] *Lacydes fuisset.* De oratore III 7 *qui autem annus ei primus ab honorum perfectione aditum omnium concessu ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit.* L. quidem Licinius Crassus a. 662 censor erat a. 663 mortem obiit. At contra de imperio Cu. Pomp. 3, 7 *ab illo tempore* — scil. ab anno 646 quo Mithridates cives Romanos trucidandos denotavit — *annum iam te tium et vigesimum regnat* scil. a. 668, quo oratio habita est. Liv. XLV 1, 11 *tertius decimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum est.* XV k. Oct. (§ 6): pridie non. Septembres (v. XLIV 37, 8). Ovid. fast. I 7, 10 *haec erit a mensis fine secunda dies* (30:31) trist IV 10, 55 *quartus ab his* (scil. a Gallo Tibullo Propertio) *serie temporis ipse fui.* Mirum in modum numeratur loco vexatissimo fast. II 686 *nunc mihi dicenda est regis fuga; traxit ab illa Sextus ab extremo nomina mense dies* (28:24).

Cicero ad Servium Sulpicium scribit XIII 21[1]), tamen non constat ep. XIII 2 in Cilicia datam esse. XIII 3 nihil est cur huic tempore assignetur.

M. Fadium ad Ciceronem Laodiceam venisse legimus ad fam. IX 25 scilicet a. 704, nam epistulae inscribitur *imperator*. Non antea igitur quam a. d. III id. Febr. 704 et haec ep. data est (v. ad Att. V 21) et reliquae quibus Fadius commendatur XIII 59 II 14; hieme autem eas missas esse legimus II 14. Litteris quibus Cassius Fadium Ciceroni commendaverat Cicero respondet ad fam. XV 14; itaque haec quoque epistula Laodiceae videtur data. esse.

Ep. ad fam. XIII 5, qua in epistula Cicero scribit *etiam cum longissime absum,* si in Cilicia data est, non a. 703 sed a. 704 est missa, propterea quod a. 703 non Titius, sed Plotius praetor urbanus erat (ad Att. V 15, 1). Denique ex provincia datae sunt epistulae ad. Q. Thermum, qui tum Asiae provinciae praeerat (ad Att. VI 1, 13 V 13), et ad P. Silium, qui Bithyniam obtinebat (ad Att. VI 1, 13). XIII 53 accuratius quoddam temporis iudicium non habet. 54 non antea quam a. d. III id. Febr. data est; nam filium interpretis longa apparitione cogniti Laodiceam venisse narratur (cf. ad Att. V 21). 55 posteaquam Cicero Anneii in bello virtutem cognovit (v. § 1), id est non ante exitum a. 703. 56 temporis significationem non habet. 57 a. 704 non ante k. Maias § 1.

Ex epistulis ad P. Silium ep. 63 a. 704 mense Februario videtur data esse; habet enim commendationem M. Laenii, de quo scribitur ad Att. V 21, 4 *Laenii pueris te dedisse saepe ad me scripseras: eas Laodiceae denique, cum eo venissem, tertio idus Februar. Laenius mihi reddidit, datas a. d. X k. Octobres. Laenio tuas commendationes et statim verbis et reliquo tempore reprobabo.* At ne id quidem certum; nam non modo nihil est, quin Laenius antea ad Ciceronem venerit, quippe qui ne-

[1]) Non recte autem Manutius mihi iudicare videtur, eundem esse M. Avianium Flaccum cuius mentio fit ad fam. XIII 35, 79. Nam M. Aemilium Avianium a. 708 Cibyrae fuisse legimus XIII 21. M. autem Avianius Flaccus tum Romae erat XIII 79.

gotiaretur in Ciceronis provincia ac praefecturam petivisset (ad Att. VI 1, 6), sed etiam facile poterat Laenius priusquam Cicero Attici accepit litteras commendari, quoniam vetus Ciceroni cum Laenio consuetudo intercessit (v. ad fam. XIV 4. pro Plancio 41 pro Sestio 63). Iam ceteris ad Silium litteris cur inscrabitur in editionibus *exeunte a. 703* equidem non intellego; neque enim diiudicari potest, utrum litterae a. 703 an a. 704 datae sint.

Iam vero, quo facilius intellegatur, etiamsi nihil intercedat, quominus litterae et ad Thermum et ad Silium eo ordine, quo hoc commendationum libro continentur, missae sint, inde colligi non posse hanc epistularum seriem esse, pauca afferamus de ceteris huius libri epistulis. Epistulam XIII 68 primam ad Servilium missam esse, id est ante 66 et 67, ex primis epistulae verbis perspicitur. Quamquam haec epistula non commendaticia est. Mitto litteras ad Q. Valerium Orcam 6ᵃ et 6ᵇ multo ante epistulas 4 et 5 datas esse; nam quod putant, 6ᵃ et 6ᵇ anno 698 scriptas esse, nititur dubio illo argumento, quod in oratione post reditum in senatu habita § 23 Q. Valerius praetor commemoratur. Quid? quod ep. 74 Oppius Philippo commendatur, ep. 73 Oppium Philippo curae fuisse legimus.

Perspicuum igitur est in epistulis digerendis temporum ordinem non servatum esse. Quamquam litterae et ad Brutum XIII 10—14 et ad Servium Sulpicium 17—28ᵇ tradito ordine videntur datae esse. Quid enim aptius convenit, quam primum quaestorem commendari epistula decima deinde legatos ad vectigalia exigenda missos undecima; tum homines privatos. Litteris porro commendaticiis ad Servium Sulpicium datis recto ordine respondent litterae quibus gratiae aguntur,

19 : 24
21 : 27
26 : 28.

Illud quoque cum hoc ordine consentaneum est, quod prima epistula, septima decima commendatur Curius, qui Ciceronem rogabat, ut se etiam successori Servii Sulpicii quam primum commendaret (ad fam. VII 29), altera autem epistula Atticus.

Temporis significationem habet ep. 19 § 1 *is cum Romae annum prope ita fuisset, ut mecum viveret*; quoniam Cicero non ante exitum a. 707 Romam rediit (ad fam. XIV 20); ep. 19 extremo anno 708 data est. Eodem autem anno missa est ep. 26 v. § 3 *a M. Lepido consule.* Notum vero est, inter Novembrem et Decembrem a. 708 duos menses intercalatos esse (cf. Suetonius Caes. c. 40); facile igitur possunt omnes illae litterae 19—26 anno 708 exeunte datae esse.

CAPUT IV.

Multas Cicero cum a. 703/4 Roma abesset litteras accepit, ab Appio, ab Attico, a Bruto et Catone, a Pompeio et Caesare, a Paeto, Camillo, Volumnio, a Terentia et Tullia. Sed quid attinet has, quae non exstant, litteras enumerare? Perfelici autem casu quoniam factum est, ut servatus sit M. Caelii epistularum libellus, paucis iam et de harum epistularum ordine et carptim de rebus urbanis disputemus.

Ep. ad fam. VIII 1 inter IX k. Jun. et k. Jun. missa est v. § 2 § 4. VIII 2 aliquanto post, nam alter rerum urbanarum commentarius additur, v. § 2. VIII 3 propius accedit ad ep. VIII 2 quam ad VIII 4; nam et initio ep. 3 Caelius se crebras litteras mittere gloriatur et in ep. VIII 4, 3 scribitur *has ego tibi litteras eo maiore misi intervallo.*

Cicero pridie nonas Quinctilrs simul ad Caelii ep. VIII 1 ad Attici litteras respondet; et ad Atticum scribit V 11, 1 *Marcellus foede in Comensi. Etsi ille magistratum non gesserit, erat tamen Transpadanus.* Sic legitur de coniectura Sigonii ad sententiam certa; Mediceus habet *sedendi comes.* Nam narratur apud Appianum (de bello civili II 26) ineunte anno 703 a Marcello hominem aliquem Novocomensem verberatum esse cf. Plut. Caes. 29[1]). Sed Caelius neque in prima neque in altera

[1]) Cf. Nakius in Fleckeisenii annalibus vol. 89 pag. 60—68.

epistula huius rei mentionem infert. Immo VIII 1, 2 tarditatem Marcelli carpit *praeterea Marcellus, quod adhuc nihil rettulit . . . sanequam eos sermones expressit, qui de eo tum fuerant cum Romae nos essemus.* VIII 2, 2 autem temperantiam Marcelli laudat *Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed, ut mihi videbatur, consilio.* Quid ergo? Testes nobis sunt Caelii epistulae, non magnam vim tribuisse optimates acerbitati Marcelli. Posteriores vero auctores velut Plutarchus et Appianus vel, ex quo hauserunt, Asinius Pollio rati, nihil imprudentius agi potuisse a Marcello, cum Caesaris robur imprimis niteretur Transpadanorum fide ac benevolentia, virgas Comensi intentatas esse diligenter narrabant. Comensi autem iniuriam non postea factam esse quam scripta sit Caelii ep. VIII 2 inde perspicitur, quod hac epistula Messallam absolutum et Hortensium explosum esse narratur, de quo iudicio Ciceronem non Athenis, sed Gyari certiorem factum esse legimus ad Att. V 12, 2. Atque si iudicium de Messalla iam factum esset, Atticus iudicii mentionem fecisset in iis litteris ad quas Cicero de Comensi Athenis rescribit; antea igitur Transpadanus virgis concisus est.

Videmus ex Caelii altera epistula, Messallam ab Hortensio ineunte a. 703 defensum esse, Brutus autem haec loquitur in Bruto § 328 *Hortensium magnum oratorem semper putavi maximeque probavi pro Messalla dicentem cum tu abfuisti.* Perperam igitur Drumannus IV 20 contendit Brutum videri simul cum Appio Claudio Romam redisse, Appius enim mense Septembri in Asia erat (ad fam. III 7, 4 8, 1). Messallam Hortensius mense Junio defendit. Praeterea Cicero mense Sextili scribit ad Att. V 17, 6 *sed hoc Bruto nostro velim dicas, illum* (scil. Appium) *fecisse non belle, qui adventu meo quam longissime potuerit, discesserit.* Adde quod narratur ad Att. VI 1, 3 Brutum Ciceroni mandatorum libellum dedisse. Itaque casu fit, ut Bruti litterae non ante annum 704 commemorentur ad fam. III 7 ad Att. VI 2 VI 3, 7.

VIII 4 k. Sextilibus v. § 3 et clausulam epistulae. VIII 5 post idus Sext. missam esse primo capite expositum

est; ibidem de Attici ep. a. d. III non. Sext. data atque de Appii litteris, ad quas Cicero a. d. VIII id. Oct. respondet, disseruimus. VIII 9 a. d. IV non. Sept. v. § 2. VIII 8 post pridie k. Oct. v. § 5. Hac epistula primum refertur, post ludos Romanos Sempronium Rufum calumniam tulisse, deinde narratur et a. Q. Pilio, Attici necessario, Servilium, et a Serviliis Appium de repetundis postulatum esse. Lege autem Servilia vel potius Acilia, cuius exstant fragmenta, constitutum erat, ut postulationes de repetundis ante k. Sept. fierent; sed tamen civibus Romanis, velut Pilio et Serviliis hac ipsa lege tum fortasse iam abolita etiam post k. Sept. postulare licuit[1]).

De Attici litteris post X k. Oct. datis, ad quas Cicero ad Pindenissum respondet, supra diximus. Exeunte a. 703 Atticus in Epirum profectus est, unde pridie k. Jan. iam tertias ad Ciceronem litteras dedit (cf. ad Att. V 21, 1 VI 1, 23 VI 1, 21). Pilia et filia, quae in Italia manebant, Attico mandaverunt, ut Ciceroni salutem ascriberet (ad Att. VI 1, 22); itaque Cicero etiam Piliae et Atticulae salutem dicit (VI 1, 22), id quod hac primum epistula fit, inde autem abhoc tempore a Cicerone non praetermittitur nisi vel vehementer sollicitus vel valde occupatus erat.

VIII 10 XIV k. Dec. v. § 3.

Nonis Decembribus quaestores provincias sortiebantur. Atque cum Sulla a. 673 instituisset, ut viginti quaestores crearentur, nobis septendecim provinciae quaestoriae notae sunt[2]); reliqui tres quid egerint, non liquet, nam quaestores consulum proconsules in provincias prosequebantur. Sed a. 703 mutato provinciarum ordine Ciceroni Mescinius Rufus quaestor destinatus est. Cum lex de provinciis a. 703 facta sit, incertum est, num Mescinius provinciam a. 702 nonis Decembribus sortitus sit. Anno 704 Coelio Ciliciam obvenisse Cicero ad Atticum mense Maio scribit VI 2, 10; primas autem a Coelio litteras Cicero a. d. X k. Quinct. accepit (ad fam. II 19).

---

[1]) Conferatur Klenzius in editione legis Serviliae et Corp. inscriptionem Latinarum I p. 49.

[2]) Mommsenus de iure publico II 520[2].

Neque tamen inde colligi potest, Coelio provinciam nondum nonis Dec. a. 703 obtigisse; nam ut in epistula ad Atticum non de re nova agitur *C. Coelium quaestorem huc venire audisti*, ita litteras Coeli sero allatas esse Cicero declarat *nec is qui attulerat a te acceperat.*

VIII 6 a. 704 ante k. Martias.

Haec epistula non uno tenore exarata, sed paragraphus quinta paullo post adiecta est. Confer § 3 *Curioni nostro tribunatus conglaciat.* § 5 *quod tibi supra scripsi Curionem frigere, iam calet.* Hac paragrapho narratur Curionem legem alimentariam et viariam iactare, quas leges Appianus testatur (de bell. civ. II 27) Curionem tulisse priusquam actio de provinciis introiret. Sin epistula post k. Mart. data esset, quo die ut de provinciis referretur anno superiore decretum erat (ad fam. VIII 8), Caelius in extrema pagella addidisset, quid hoc die in senatu actum esset. Nulla autem est causa, quin statuamus k. Martiis ex senatus consulto de provinciis relatum esse; nam ad Atticum Cicero scribit VI 2, 6 *habebam acta urbana usque ad nonas Martias, e quibus intellegebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri quam de provinciis.*

Initio ep. 7 Caelius scribit *quam cito tu istinc decedere cupias, nescio; ego quidem eo magis, quo adhuc felicius res gessisti.* Quid? nonne Cicero antequam acta urbana usque ad nonas Martias accepit, omnibus fere litteris familiares rogabat, ut pugnarent, ne retineretur in provincia (ad Att. V 20, 7 ad fam. II 11 cet.)? nonne Caelius confirmat se enisurum esse, ne imperium prorogetur (VIII 10, 5)? Itaque Caelius si ante k. Mart., quo die prorogari poterat, scripsisset se nescire, quam cito Cicero decedere velit, insulse Ciceronem sollicitum irrisisset. Quare ep. 7 post k. Mart. videtur data esse. Quodsi Caelius scribit VIII 7 *tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam* haec verba non ad ep. sextam ante k. Mart. missam referenda sunt. Malim adnectere hanc pusillam epistulam ad ep. VIII 11 non ante mensem Aprilem missam. Ciceronis enim ep. II 15 rescripta est ad Caelii epistulam septimam, undecimam, tertiam decimam; 15, 1

ad undecimam, 15, 2 ad tertiam decimam, 15, 5 ad septimam epistulam; tertia decima brevior est, ep. undecima pluribus verbis scripta; itaque ep. septima postero die quam undecima videtur data esse. Adde quod cum una cum ep. undecima commentarius rerum urbanarum missus sit ad eum aptissime refertur quod legitur VIII 7 *nondum rettuleram* (de Hermanni coniectura. M *rettuleras*). Facile igitur perspicitur, quam perverse de his epistulis Gruberus iudicaverit l. s. s. p. 13: „posteriorem 7 postridie 6^{tam} scriptam esse ipse dicit. Martio vero scriptae sunt, nam in ep. II 15 se una cum hac ep. acta urbana a Coelio accepisse dicit, ea vero ad nonas Martias pertinuisse legimus in ep. ad Att. VI 2". Praeterea utroque loco non Caelii commentarius, sed acta publica intelleguntur. Caesar enim instituerat anno 695, ut, quae publice agerentur, litteris mandarentur; qui libri nominabantur acta vel publica vel diurna vel urbana[1]), actorum autem haud raro fit mentio in Ciceronis epistulis velut ad Plancum X 1 ad Trebonium X 28 ad D. Brutum XI 25 ad Cassium XII 8. 9 ad Cornificium XII 23, qui viri, ut Cic. a. 703, peregrinantes provinciis praeerant. Quidni ad acta publica referamus, quae Cicero scribit ad Att. VI 2, 6? Nempe alia sunt acta, alius commentarius rerum urbanarum, quem Caelius Chresto perscribendum mandaverat (vide ad fam. VIII 1. 2. 11 II 8). Altero loco Cicero scribit II 15, 5 *de Ocella parum ad me plane scripseras et in actis non erat;* Caelius enim VIII 7 haec narrat *Servius Ocella nemini persuasisset se moechum esse nisi triduo bis deprehensus esset. Quaeres ubi? ubi hercules ego minime vellem. Relinquo tibi quod ab aliis quaeras.* Quoniam Caelius exponit, cur accuratius de Ocella non referat, Ciceronem l. s. s. non ad Caelii commentarium, sed ad acta publica respicere manifestum est.

VIII 11 qua epistula Ciceroni supplicationes decretas esse nuntiatur, post nonas Apriles missa est; nam quoniam Cicero in castris ad Pyramum ab Appio binas litteras accepit,

---

[1]) Conferatur Huebnerus in Fleckeisenii annalium suppl. III p. 564—594.

quarum unis dies erat ascripta nonarum Aprilium, cum alterae recentiores viderentur (III 11), Cicero autem postea quam accepit illas litteras et Appio gratias agit pro opera in supplicationibus decernendis navata (III 13) et ad Atticum de magistratuum voluntate scribit (VI 7), post nonas Apriles videntur supplicationes decretae esse. Ep. ad fam. XV 5 sub idem tempus; hac enim epistula Cato explicat, quibus causis ductus supplicationes non decreverit.

VIII 13 his verbis finitur *Q. Hortensius cum has litteras scripsi animam agebat.* Hortensii loco Antonium augurem factum esse exeunte mense Septembri mox viderimus, certior autem factus est de Hortensii morte Cicero Rhodi mense Sextili, ut supra demonstravimus; itaque mense fere Junio Hortensius fato videtur defunctus esse. Hortensius mortuus est perpaucis diebus postquam Appium defendit (Brutus 230. 324). Appius autem accusatus erat a. 704 et de maiestate et ambitus; de priore iudicio nonis Aprilibus ad Ciceronem refert (III 11), de nova adfinitate gratulatur (III 12). Quoniam Caelius eadem epistula gratulatur (VIII 13) qua Hortensium exspirare nuntiat, per spicuum est Hortensium decessisse paucis diebus post iudicium de ambitu.

VIII 12 post a. d. XIII k. Oct. v. § 3 *insolentissimi homines summis circensibus ludis meis postulandum me lege Scantinia curant.* Ludorum Romanorum dies ultimus erat a. d. XIII k. Oct. et anno Juliano et antea. Nam cum Antonius tulisset a. 710, ut unus dies adderetur ludis (Philipp. II 110), qui ludi antea usque ad a. d. XIV k. Oct. agebantur, usque ad a. d. XIII k. Oct. celebrabantur[1]; at mensis September a. 703 29 dies habebat; itaque anni Juliani dies a. d. XIV k. Oct. tum erat dies a. d. XIII Oct.

In ep. 12 4 narratur Domitio diem comitiorum timori esse, in ep. 14 nuntiatur Domitium ab Antonio victum esse. Hanc epistulam mense Septembri datam esse inde quoque apparet, quod 14, 4 Appium de signis et tabulis agere ut res

[1]) Conferatur Corp. inscriptionum Latinarum I p. 401.

nova refertur; qua de re Cicero Athenis idibus Octobribus ad Atticum scribit VI 9, 5. Hirtius narrat (de bello Gall. VIII 50. 52), Caesarem a. 704 hibernis peractis in Italiam contendisse, ut municipia et colonias appellaret, quibus Antonii sacerdotium commendasset; antea autem quam Italiam attigisset audivisse Antonium augurem creatum esse; Caesarem deinde omnibus regionibus Galliae togatae perlustratis summa celeritate ad exercitum Nemetocennam redisse legionesque ex omnibus hibernis ad fines Treverorum evocasse. Vidimus Antonium augurem factum esse exeunte mense Septembri; itaque Caesar non ante mensem Septembrem in Italiam profectus est; quoniam autem omnes regiones Galliae togatae percucurrit, non ante mensem Octobrem exercitum ex hibernis eduxit; sed tamen qui tum erat mensis October e vera anni ratione erat Sextilis. Praeterea Caesar hoc anno nihil agebat; tantum sane itinerum faciebat, quantum satis esse ad mutationem locorum propter salubritatem existimabat (VIII 52). Quid igitur mirum est exercitum per aestatem in hibernis fuisse?

Ultimae litterae annis sequentibus datae sunt: VIII 15 anno 705 postquam Domitius se dedidit v. § 2; at antequam Pompeius ex Italia profugit. VIII 16 mense Aprili, cum Caesar in Hispaniam proficisceretur v. § 4 et ad Att. X 8 B. VIII 17 initio anni 706 antequam Dyrrhachinum proelium Romem nuntiatum est v. § 2.

Sed de aliis Ciceronis litteris uberius fusiusque alias disputabimus.

VITA.

Natus sum Lissae die XIX mensis Februarii anno h. s. LX, patre Isidoro mercatore, matre Sophia e gente Lazarus, quibus vivis salvisque vehementer gaudeo. Fidem profiteor iudaicam.

Glogaviam cum parentes migrassent. huius urbis gymnasium catholicum frequentavi gubernatum tum a Wentzelio directore, postea a Raczeckio, denique a Mengio. Neque vero unquam obliviscar quantum debeam illis viris et praeceptoribus, imprimis Ferbero et Laurentio Muellero, quos semper praecipuo in honore habebo.

Maturitatis testimonio instructus autumno a. LXXVI Lipsiam me contuli eo consilio, ut iis studiis me dederem, quae me maxime delectarent. Itaque cum multas doctrinas primis labris gustabam, tum potissimum ad artium et litterarum historiam atque ad aesthetica, ut barbare dicam, studia me conferebam. Quae cum diu agitassem Lipsiae, Heidelbergae, Berolini, Genavae, Berolinum remigravi. Iam vero sive quod mihi persuasum erat fere omnia studia caecutire sine philologiae lumine sive quod scholae hac in universitate habitae magis magisque ad veteres auctores tractandos me inflammabant, philologiae totum me tradidi.

Lipsiae audivi Hermannum, Springerum, G. Voigtium, Heidelbergae optime de me meriti sunt Fischerus et Nohlius, Genavae Amiel et Humbert. Berolini audivi Curtium, Huebnerum, A. Kirchhoffium, Nitzschium, Schererum, Vahlenum, Wattenbachium, Zellerum. Ad exercitationes benigne aditum mihi concesserunt Huebnerus, Mommsenus, Nitzschius, Vahlenus, Wattenbachius, Zellerus. Omnibus illis viris summas gratias ago, candidissimas autem Huebnero et Mommseno; nam cum mihi contigisset, ut Huebneri et scholis et exercitationibus amplius biennium interessem atque ut seminarii Mommseniani sodalis essem, viri clarissimi cum summa doctrina tum egregia quadam benevolentia mirum quantum de me meriti sunt.

THESES.

1. Servius Sulpicius Rufus biennium videtur Achaiae praefuisse.
2. Pompeius et Cicero neque eodem die a. 705 ab urbe profecti sunt nec post discessum inter se collocuti.
3. Epistula ad Att. VII 12 non potest a. d. VIII k. Febr. data esse, sed aut a. d. X k. aut a. d. IX k. scripta est.
4. Non idem Seius intellegitur ad Att. XII 11 et ad fam. IX 7.
5. Quae de Coriolano narrantur, prorsus ficta sunt.
6. Gallia Cisalpina videtur Sullae temporibus in provinciae formam redacta esse.
7. Certis argumentis demonstrari non potest, Propertii carmina non integra nobis servata esse.
8. Perperam Montorsoli Apollinis Vaticani statuam ita restituit, ut arcus partem manu teneret.
9. In dialectis linguae Graecae disponendis veteres ratione nulla usi sunt.
10. Parum certis argumentis Fr. Aug. Wolfius stabilivit sententiam suam, artem scribendi ignotam fuisse, cum Homeri carmina conderentur.
11. Canon Porsonianus multas exceptiones habet.
12. Plato haudquaquam in libris de re publica talem civitatem condere voluit, qualis mente tantum et cogitatione fingi posset.